JUSTI FONTANINI ... DISSERTATIO DE CORONA FERREA LANGOBARDORUM HONORANDA EST…

Giusto Fontanini



Claris.ⁱ Autoris donum

Ex legato D. Equitis Antonii
Francisci De Marmis.

DISSERTATIO
DE
CORONA
FERREA

JUSTI FONTANINI
A Cubiculo honorario Sanctissimi Domini Nostri
CLEMENTIS PAPÆ XI.

DISSERTATIO
DE
CORONA FERREA
LANGOBARDORUM

Honoranda est semper antiquitas.
S. Leo Magnus epist. x. alias LXXXIX.
cap. IX.



ROMÆ
Apud FRANCISCUM GONZAGAM in Via Lata.

CIↃ IↃCCXVII.
PRÆSIDUM FACULTATE.



AD SACRAM
CONGREGATIONEM
RITIBUS
ECCLESIÆ CATHOLICÆ
Examinandis præpositam.

*Archipresbyter, Canonici duodeviginti, & omnis Clerus insignis Collegii & regiæ Basilicæ Præcursoris, Præfecti fabricæ, & Magistratus cum universo populo Modoetiæ.** *Monza

INter magna nec pauca infortunia, quæ nos variis tempestatibus afflixerunt, EMINENTISSIMI & REVERENDISSIMI in CHRISTO PATRES, certe maximum reputavimus quod Coronæ ferreæ ex Domini Clavo constructæ sanctitatem, & cultum ante Beatum Carolum, ab ipso Carolo, & post Carolum probatum, exploratumque, nobis eripere postremis hisce annis tentavit. Sed ubi

in sinum optimæ matris Apostolicæ Sedis confugere licuit, ut ejus judicium falli nescium religio nostra subiret, id summæ felicitati nostræ statim adscripsimus, rati nihil optatius nobis unquam accidere posse, quam si Dominici Clavi thesaurus post sæculorum memoriam expenderetur ab illa ipsa Apostolica Sede, quæ eum nobis per Magnum Gregorium largita est, quemque multi Pontifices & Legati quoque Apostolicæ Sedis, præter Mediolanenses metropolitas, identidem commendarunt. Hæc & alia plura in hoc libello, quem, ad genua vestra obsequentissime provoluti, vobis offerimus, comprehensa, eademque veterrima traditione, Theologorum & Historicorum auctoritate, prodigiis etiam & miraculis confirmata certos nos reddunt, anti-

quis-

quiſsimam fidem noſtram, ut igne aurum, a vobis, ſapientiſsimi Patres, agnitum iri; unde nos impoſterum de religione propria & majorum ſecuri, ubi opus fuerit, alacriter illud Auguſtini ex libro 1 I. cap. ciii. operis imperfecti contra Julianum proferre poſsimus: *quid adhuc quæris examen, quod jam factum eſt apud* Apostolicam Sedem?

IMPRI-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiss. Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

N. Card. Caracciolus Pro-Vicarius.

ADPROBATIONES.

I.

Dissertationem de Corona ferrea, stilo nitido, acri judicio, exactoque criterio ab Auctore, tot omnigenæ eruditionis monimentis in lucem editis, de Ecclesia & Republica litteraria optime merito, ob idque longe, lateque notissimo, exaratam, a me magna animi jucunditate diligenter, de mandato Reverendissimi Patris F. Gregorii Selleri Magistri Sacri Palatii Apostolici, perlectam, prælo dignissimam censeo.

Ex Conventu Sanctæ Mariæ super Minervam die 30. Martii 1717.

Fr. A. Guilelmus Molus Sacræ Theologiæ Magister & Procurator generalis Ordinis Prædicatorum.

II.

AUctoritate Reverendissimi Patris F. Gregorii Selleri, Magistri Sacri Palatii Apostolici, perlegi non sine magna animi voluptate luculentum, & omnigena eruditione refertum opus, cui titulus: *Justi Fontanini a Cubiculo honorario SS. Domini nostri Clementis Papæ XI. Dissertatio de Corona ferrea Langobardorum.* In eo clarissimus Auctor, & ob alia ingenii sui illustria monumenta Orbi literario notissimus, id quod probandum susceperat, nempe ferream Coronam, Modoetiæ in Thesauro S. Johannis Baptistæ reveren-

renter ab antiquissimo tempore asservatam, uno e sacratissimis Clavis Dominicæ Crucis insigniri; eamque ipsam esse, qua primum Italiæ Reges, ac postmodum Romani Imperatores, quandocunque in Reges Italiæ inaugurabantur, uti semper consueverunt, certissimis documentis, & gravissimis rationum momentis evincit; disjectâque omnis dubitationis caligine, quam huic veritati seu sequioris ævi scriptorum incuria, seu invalescens nostro tempore perversus quidam genius pervetusta quæque remere inficiandi, obducere potuit, eximium hujusce Coronæ decus nativo splendori restituit. Quamobrem eum tota Dissertatio neque doctrinæ Ecclesiæ, neque bonis moribus adversetur, imo pietatis & veritatis studiosis futura sit maxime utilis, eam dignissimam censeo, ut typis vulgetur.

Romæ diei 12. Martii 1717.

Thomas Montecatinus J. C.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum Sacri Apostolici Palatii Magister.

SIN-

SINGULORUM
CAPITUM
BREVIARIA.

Co-

JUSTI

JUSTI FONTANINI
DISSERTATIO
DE
CORONA FERREA

CAPUT I.

Lis de ferreo Domini clavo Coronæ aureæ intexto Modoetiensibus excitata. Christus Dominus quatuor Clavis crucifixus est. Horum unus in circulum versus primum diademati seu galeæ Constantinianæ, & postmodum Coronæ aureæ Regum Italicorum insertus. Quid ceteris factum. Auctores explicantur & in concordiam rediguntur. Quidam errores castigati.



ON ita dudum magnis animorum contentionibus cœpit in controversiam vocari, an *Corona ferrea*, quæ auro gemmisque ornata in sacrario insignis Basilicæ Sancti Jo. Baptistæ opidi Modoetiæ in Insubribus ab vetustissimis temporibus magna cum religione adservatur, tanquam celeberrimum sacræ & civilis Italorum gloriæ monumentum, uno reapse ex Dominicis clavis, antiquitus in rotundam laminam verso, confecta fuerit, ideoque cum ceteris Sanctorum lipsanis claudi, & Christi fidelium obsequiis identidem exponi debeat, quemadmodum Modoetienses a majoribus suis jure ac merito factum fuisse contendunt. Hac de re, jampridem ad sacram ritibus Ecclesiæ Catholicæ examinandis præpositam Congregationem perducta, ultro citroque varia scripta prodierunt

CAP. I. præter Animadversiones, quas Illustrissimus & Reverendissimus Promotor Fidei, Prosper ex Comitibus Lambertinis, pro munere suo edidit, uberrimas illas quidem & oppido egregias. Ex ceteris autem scriptis non obscure colligitur, ætate nostra quospiam ex Mediolanensi florentissima urbe proximis Modoeriensibus litem sagaciter intentandam curasse, quippe qui ægre ferre viderentur, opidum illud seu mavis opidulum, si cum Mediolano comparetur, in cujus parœcia urbana ad decimum inde lapidem situm est, nominis sui & sacrorum pignorum claritate, quam frequentia & amplitudine illustrius, cum tanta urbe, Dominici clavi thesauro certare. Mediolanenses enim simili clavo pariter gloriari compertum est. Huc apposite congruit quod Tacitus lib. I. Historiarum cap. LXV. de honore a Galba in Viennenses collato literis prodidit, hunc eundem honorem scilicet Lugdunensium finitimorum invidiam in eos excitavisse. Verba Historici hæc sunt: *multus contra in Viennenses honor, unde æmulatio & invidia, & uno amne discretis connexum odium.* Si hæc inter tantas colonias, quanto magis inter principem urbem & exiguum opidum, *uno amne* Lambro *discretum*! Rem tamen heic prorsus novam a nobis non pandi, sed bene vetustam, postmodum apparebit.

II. Quandoquidem a spectatissimis viris cotidiano pene convicio interpellari me contigit, ut ipse meam de hac disceptatione qualemcumque sententiam proferrem, forensibus argumentis & scholasticis probationibus prætermissis, quibus chartas typis editas scatere video, rei veritatem & factum historicum, si fieri potest, ex ambagibus & non modicis tenebris, quibus fortasse involvitur, in lucem trahere conabor, non animo certandi, sed quo Eminentissimorum judicum sapientia & perspicacia de universa quæstione facilius decernere valeat. Non is tamen ego sum, qui mathematicis demonstrationibus rem confecturum me esse profiteat, quas

in

in hujusmodi quæstionibus nemo prudens ab ullo requirit; nec sane requiri opus est, teste Jo. Ferrando in Disquisitione Reliquiaria lib. 1. cap. xii. Artic. 1. Sect. 1. pag. 279. nam *constans fama vetusque traditio potius, quam scripta sufficere* existimantur a magno Baronio A. D. 637. §. 1. At vero *constans fama* nobis non deest, nec *vetus traditio*. Nec etiam *scripta* decrunt, eaque haud levibus, ut puto, argumentis & rationibus confirmata. Tantum vero abest, ut hac Dissertatione mea, quæcumque ea furura sit, amplissimis Mediolanensium honoribus quicquam detractum velim, ut contra inter universos Italiæ populos tum sacrarum, tum civilium rerum fastigio illos excellere non diffitear, & eorum non paucos egregios viros mihi stricto necessitudinis vinculo conjunctissimos habeam. Immo ex hac ipsa Dissertatione eorum gloriam augeri constabit, postquam Mediolanensem Metropolitam vertici Regum Italiæ ab extremis usque temporibus ferream Coronam imposuisse ostenderimus. CAP. I.

III. Ferreos clavos, quibus Christus Dominus a Judæis Cruci infixus est, nec plures quam numero quatuor, nec pauciores quam tres extitisse, omnes conveniunt. Quaternarium vero numerum, scriptorum veterum auctoritate, argumentorum pondere, & universæ propemodum antiquitatis consensu fulciri, una est sententia virorum illustrium, qui hanc spartam accuratius ornarunt, uti est Franciscus Collius lib. ni. cap. 1. de Sanguine Christi, Cornelius Curtius cap. iv. de Clavis Dominicis, Jacobus Bosius in Cruce triumphanti lib. 1. cap. xv. Jacobus Gretserus lib. 1. de Cruce cap. xx. & xciii. & nuperrime Philippus Bonarota ad Diptychon Rambonense Observationum suarum pag. 263. Idem sentiunt Wilhelmus Lindanus Ruræmundensis Episcopus in Panoplia Fidei lib. iv. cap. xcvii. pag. 467. editionis postremæ Coloniensis anni 1575. apud Maternum Cholinum, & Franciscus Cardinalis Toletus in Commentariis in

Cap. I. Jo. cap. xix. annotat. xiv. pag. 466. editionis Romanæ. Ad hæc Sancta Brigitta Revelationum lib. I. cap. x. lib. iv. cap. lxx. & lib. viii. cap. xv. His si addantur quæ Josephus Scaliger animadvertit in Chronicon Eusebii pag. 117. editionis II. res nulla difficultate laborare videbitur. Plures alios advocarem ad partes, si opus foret. Sed præterire non debeo, quaternarii clavorum numeri sententiam ab Innocentio III. Summo Pontifice comprobari in Sermone I. de uno Martyre tomo I. operum pag. 171. editionis Coloniensis apud Cholinum anni 1575. cui quidem sententiæ quatuor ab hinc sæculis sine piaculo inter Catholicos adversari non licuit. Id habemus ex Luca Tudensi lib. II. cap. xi. contra Albigenses, ubi acriter in eos invehitur, qui Christum Dominum tribus clavis crucifixum repræsentabant. Verba Lucæ huc adferam ex tomo xxv. Bibliothecæ PP. Lugdunensis pag. 224. QUATUOR, inquit, *clavos in Domini corpore fuisse fixos magnus ille Dei Vicarius, Ecclesiæ doctor, & hæresum persecutor Innocentius III. testatur dicens: fuerunt in Passione Domini* QUATUOR *clavi, quibus manus fixæ sunt & pedes affixi. Et post pauca: duos, inquit, pedes & duas manus* QUATUOR *clavis debet configere Christianus. Quid hac auctoritate clarius? Quid his verbis verius, quæ a throno Dei, hoc est a Romana Ecclesia per os sacrum cunctorum patris, Innocentii, exierunt? Non est jam quod contradicat Catholicus. Non est quod contra sentire debeat Christianus. Etenim quæcunque a Romano Pontifice catholice proferuntur, sicut divina præcepta servanda sunt a Fidelibus.* Baronius utramque sententiam his verbis complexus est A. D. 34. §. cxiv. *de Christo Domino antiquiores imagines quatuor ipsum affixum clavis repræsentant, nempe seorsum singulis pedibus singulis affixis clavis. Sed aliam sententiam de tribus clavis recentior probavit usus.* Ita est. Huic sententiæ recentior usus tantum adstipulatur.

His

IV. His non frustra a nobis præmissis, variam clavorum fortunam examinemus. Sanctus Ambrosius in oratione de obitu Theodosii Magni, scripta A. D. 395. §. 47. tomo II. operum editionis novæ pag. 1211 de clavis a Sancta Helena Hierosolymæ inventis hæc habet: *quæsivit clavos, quibus crucifixus est Dominus, & invenit. De uno clavo frenos fieri præcepit, de altero diadema intexuit* (nempe intus texuit) *Unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit*. Et paullo post: *misit itaque filio Constantino diadema, gemmis insignitum: quas pretiosior ferro, innexas, Crucis redemptionis divinæ gemma connecteret. Misit & frenum. Utroque usus Constantinus*. Mox vero §. 48. *recte in capite clavus, ut ubi sensus est, ibi sit præsidium. In vertice* CORONA, *in manibus habena*. CORONA *de cruce* (idest de clavo crucis) *ut fides luceat*; HABENA *quoque de cruce, ut potestas regat*. Libuit longiusculum Ambrosii testimonium recitare, ut diadema ob oratore sanctissimo pro *Corona* diserte sumtum pateſieret. Quare vox *diadematis* ab Ambrosio usurpata leve est argumentum adversus *Coronam ferream* Modoetiensem. Si enim clavus in circulum seu rotundam laminam versus, & coronæ Imperiali ab Helena intextus, vertici Constantiniano aptari potuit, cur hinc laminam ferream Coronæ Modoetiensi Regum Italicorum insertam, a corona seu diademate Constantiniano, quæ promiscue usurpavit Ambrosius, abhorrere putabimus? Hoc idem ab Helena *gemmis insignitum* testatur Ambrosius. Gemmis & auro itidem insignita est Corona Modoetiensis. Utraque regiis capitibus cingendis exstructa, ita ut unam ab altera diversam haud temere quispiam existimet.

V. Apud Carolum Cangium in Historia Byzantina pag. 17. & 19. nummi aliquot proferuntur, in quibus Constantini Augusti caput gemmato *diademate* cinctum conspicitur, *galeâ* quoque gemmis ornatâ; quibus capitis tegumentis

Cap. I. tis *Coronam* clavo Dominico ab Helena *intextam* denotari arbitramur. *Galeæ* appellationem propterea memoravi, quia Rufinus, Ambrosio æqualis, pro *diademate* seu *corona*, id nominis usurpavit: qua de re consulendus est Carolus Paschalius in Coronis lib. x. cap. xiii. ubi animadvertit, supremas potestates præter *coronas* pro capitis insigni gestare *galeam* sive cassidem; ut enim *corona* Regi demonstrando est convenientissima; ita *galea* verissimum est signum imperii. Hinc Anonymus in Panegyrico ad Maximianum & Constantinum Magnum cap. vi. imaginem Flaviæ Maximianæ Faustæ in palatio Aquilejensi pictam memorat, quæ Constantino *galeam auro, gemmisque radiantem* exhibebat. Rufinus porro lib. x. cap. viii. Historiæ Ecclesiasticæ, cui scribendæ, Hierosolyma in Italiam redux, quinquennium ab edita Sancti Ambrosii oratione animum adpulit A. D. 400. hæc de Dominicis clavis ab Helena repertis, literis mandavit: *clavos quoque, quibus corpus Dominicum fuerat affixum, portat ad filium, ex quibus ille frenos composuit, quibus uteretur ad bellum, & ex aliis* GALEAM *nihilominus belli usibus aptam fertur armasse*. Helenam ipsam clavos in frenum & coronam vertendos curasse tradit Ambrosius; Rufinus Constantino hoc tribuit: quæ tamen discrepantia verborum, rei & facti veritatem non turbat. Ambrosius *habenam*, ut vidimus, & *frenum* singulari numero postmodum vocat, quod *frenos* antea vocaverat: *misit &* FRENUM. Et infra: *quæro, quare sanctum super* FRENUM. *Frenum* quoque habet Cyrillus Alexandrinus ad cap. xiv. Zachariæ tomo iii. operum pag. 812. editionis Jo. Auberti, & Gregorius Turonensis lib. i. de Gloria martyrum cap. vi. Ex Rufino eadem ferme narrant posteriores Historici, Theodoritus lib. i. cap. xviii. Socrates lib. i. cap. xvi. Sozomenus lib. ii. cap. i. Cassiodorus lib. ii. cap. xviii. Paullus Diaconus in Historia Miscella lib. x. pag. 317. editionis Henrici Canisii, Theo-

Theophanes in Chronographia pag. 21. editionis regiæ, & Nicephorus Callistus lib. VIII. cap. XXIX. Sententia Rufini ubi *altis clavis*, numero multitudinis usurpato, Helenam Constantini *galeam* armasse innuit, verbis Ambrosii explicanda est, qui de *uno* tantum loquitur. Neque alias facile credimus, clavos ad unum omnes in *freni & galeæ* structuram cessisse, ita ut ex iis nullus reliquus fuerit. Rectius cum Sancto Ambrosio & cum Cyrillo *unum* clavum, non *duos* cum Gregorio Turonensi, sexti sæculi auctore, in *frenum* transiisse affirmamus; alterum in *coronam*, superne galeatam. Cap. I.

VI. Quid reliquis duobus clavis contigerit, idem Turonensis exponit: *tertius projectus in fretum* ad sedandas tempestates Adriacas: *quartum adserunt esse defixum in capite statuæ Constantini*, nempe CPoli. Hoc posterius scribit etiam Jo. Zonaras Annalium lib. XIII. cap. III. qui tamen utitur multitudinis numero: CLAVIS *quibusdam capiti infertis, qui corpus Domini salutiferæ Cruci affixerant*. Fuit hæc primitus Apollinis statua, quam purgavit Constantinus, & missis in eam variis reliquiis, de nomine suo appellari jussit. Codinus in Originibus CPolitanis pag. 23. narrat *infixas capiti aliquot clavos Passionis Christi Dei nostri, ut veluti sol* (Constantinus) *civibus suis præluceret*. Idem tamen Codinus in Officiis CPolitanis cap. XV. pag. 112. ait, in ejus vertice crucem stetisse, de clavo non loquens. Hæc sunt recentiorum commenta, nam Socrates, qui primus omnium de hac statua loquitur, deque parte Dominicæ Crucis in eadem inclusa lib. I. cap. XVII. de *clavo*, vel *clavis* nihil omnino ait, quanquam de clavis ab Helena repertis & filio traditis mox loquatur. Georgius Cedrenus, qui statuam quoque describit tomo II. Historiarum pag. 321. editionis regiæ, clavos pariter silet. Ad hæc Nicephorus Callistus lib. VII. cap. XLIX. singulatim exponens reliquias sub illius basi repositas, nullum memorat clavum: nec lib. VII. cap.

CAP. I. cap. IV. & XXIX. ubi iterum & tertium de ea scribit, quosque clavos in usus toties memoratos ad Constantinum missos recenset. Quare hæc me impellunt, ut doctissimo Gretsero adhærendum omnino arbitrer, qui lib. I. de Cruce cap. XCIII. pag. 304. editionis II. illum tertium clavum non tam *demersum* in mare, quam *immersum* existimat, *vix enim*, inquit, *credibile sit*, *Helenam tanto thesauro & solatio tam se, quam alios penitus privare voluisse*. Hoc certe his verbis significari voluit Gregorius Turonensis: *provida... Regina condolens exeidia miserorum, unum ex quatuor clavis DEPONI jubet in pelago*. De quarto vero clavo scribit Gretserus: *aliis pluribus & antiquioribus magis credendum est, qui clavum vel in diademate vel in galea ipsius Constantini positum affirmant: etsi fortassis Corona seu galea coronata statuæ impositæ, ad illius, quam gestare solebat Imperator, similitudinem, fuerit efficta*. Ita recte & sapienter eximius Gretserus, cujus sententiam amplectitur etiam Bosius.

VII. Non vero integrum clavum, sed ejus cuspidem duntaxat in Corona galeata inclusam autumat Bosius pag. 104. ubi utriusque imaginem exhibet. Id nostræ Coronæ ferreæ optime congruit: cujus lamina parva est & exigui ponderis. Theodoritus id etiam exprimere videtur lib. I. cap. XVIII. scribens, Helenam clavorum PARTEM *galeæ Imperatoris inseruisse*. Reliqua pars Romæ servatur in Ecclesia Sanctæ Crucis in Hierusalem, laudaturque a Christiano Adrichomio in Theatro Terræ Sanctæ pag. 177. Ceteros Domini clavos postmodum huc & illuc ejus voluntate distractos, integros vel divisos in variis Christianorum Ecclesiis coli, privata & publica etiam monumenta confirmant, ut infra dicemus. Quare *duos* tantum clavos in *frenum* & *galeam* seu *Coronam*, ex Ambrosio, transiisse censemus. Horum priorem hactenus servat Ecclesia Mediolanensis, cujus effigiem graphice delineatam vulgavit Andreas Saussajus in Crisi histo-

rica

rica de bipartito Domini clavo Trevirensi & Tullensi pag. 30. Cap. I.
Posteriorem se Modoetienses habere non immerito gloriantur in *Corona ferrea*: quam a multis retro sæculis capiti Regum Italiæ impositam fuisse, veterum & recentiorum testimoniis pro virili nostra explicabimus. Antequam ulterius progrediar, rem nondum ab ullo observatam notabo. Dominici *clavi & frenum* A. D. 550. CPoli adservabantur; nam in Jurejurando, quo Vigilius Pontifex Justiniano Imperatori se tria Capitula damnaturum pollicitus est coram Theodoro Cæsareæ Cappadociæ Episcopo, & Flavio Cethego Patricio, hæc leguntur in addendis ad Concilium v. Oecumenicum apud Stephanum Baluzium tomo I. Novæ Collectionis pag. 1544. *juravit Beatissimus Papa Vigilius Domino piissimo Imperatori in præsentia nostra, idest mei Episcopi Cæsareæ Cappadociæ Theodori, & mei Patricii Cethegi per virtutem* SANCTORUM CLAVORUM, *ex quibus crucifixus est Dominus Deus noster Jesus Christus, & per sancta quatuor Evangelia, ita per istam virtutem* SANCTI FRENI *& per ista sancta quatuor Evangelia, quod cum pietate vestra uno animo, una voluntate, hoc velle, hoc conari, ita agere, quantum possumus, ut ista tria Capitula, idest Theodorum Mopsuestenum cum scriptis suis, & Epistolam qua dicitur Ibæ, & Conscripta Theodoreti contra orthodoxam Fidem & contra* XII. *Capitula Sancti Cyrilli dicta condemnentur, anathematizentur, &c.* Jusjurandum in tabulas relatum est *quintodecimo die mensis Augusti, Indictione* XIII. *Imperii Domini Justiniani* XXIII. *novies post Consulatum Basilii* V. C. qui chronologici characteres huic A. D. 550. respondent. Quare pretiosissima pignora & auro contra æstimanda post hunc annum a Græcis ad latinos migrarunt. Id fortasse per Magnum Gregorium factum est, quem CPoli Apocrisarii munere functum apud Constantinum Tiberium Augustum, factis reliquiis ditatum Romam rediisse observat Baronius A. D. 586. §. 24.

CAP. I. Formulas & consuetudines jurandi super sacris pignoribus exhibet Cangii Glossarium v. *jurare*. Vide etiam Hieronymum Bignonium in notis ad Marculsum lib. 1. cap. XXXVIII. pag. 304. editionis Parisinæ anni 1665. Idem Vigilius A.D. 552. in epistola encyclica ad universam Ecclesiam apud Jacobum Sirmondum tomo 1. operum pag. 805. meminit jurisjurandi quod Judices Imperiales illi præstiterant: *posito indecula super altare & cataracta Beati Petri Apostoli, & super Crucem, quæ de ligno passionis Domini habet inclausum, sed & super claves Beati Petri Apostoli*. Sed ohe! Ad laminam nostram redeamus.

VIII. Neque est cur *galeæ* & *diadematis* appellationes, ab Ecclesiasticis Scriptoribus usurpatas, stricto veterum latinorum significatu accipiamus, ut hinc suspicio oriatur quominus Coronæ Modoetiensi indicandæ aptari posse existimentur. Non enim clavum ferreum in *galeam* seu *diadema* aut *Coronam* immutatum, aut integrum illuc infixum scriptores jam laudati memoriæ tradiderunt, sed ipsi *galeæ* seu *diademati intextum*, nempe interius positum, seu circumductum: quod fieri non potuit nisi in circulum & laminam converteretur. Hinc Ambrosius ait, Domini clavum Constantini diademati *intextum*, Rufinus galeam *armasse*, Theodoritus galeæ *insertum*, Gregorius Turonensis in lib. 1. cap. VI. de Gloria martyrum, galeam *coronasse*, Cassiodorus & Paullus Diaconus in *galeam immissum* vel *missum*. Quare non video, cur clavus, qui in laminam versus, diademati seu Coronæ olim *intextus* fuerat; quique galeam *armaverat*, seu *coronaverat*, eique *insertus* vel in eam *missus* fuerat, Coronæ Regum Italiæ itidem *intexi*, eandem *armare*, ipsique *inseri*, & in eam *mitti* postmodum non potuerit. Qui vero sibi persuaderi non posse vulgarunt, sacrum Dominicæ mortis instrumentum ignibus tradi, malleis attenuari, lima atteri potuisse, ut inde ferrea lamina efformaretur, hi utique nec

sibi

sibi persuadebunt, alterum ejusdem Dominicæ mortis instrumentum in frenum equi Constantiniani fabrilibus malleis conversum fuisse: quod tamen veteres Ecclesiæ Patres & Historici nobis testantur. Atqui A. D. 1649. clavus Mediolanensis lima attritus est jussu Archiepiscopi & Cardinalis Cæsaris Montii, ut illæ sacri pignoris rasuræ dono darentur Mariæ Austriacæ Reginæ in Hispanias proficiscenti. Frustra etiam ad evertendam Coronam Modoetiensem, non jam galeatam, sed superne vacuam, viri docti ad Coronam radiatam, in aliquot nummis Constantinianis expressam, confugiunt, quum, præterquamquod de solo *circulo ferreo*, in Corona aurea incluso jam disputamus, Corona Modoetiensis, eundem circulum ferreum complectens, illarum generis sit, quæ media ætate Regum capita circumdederunt. Quamobrem clavus, qui Constantini Coronæ primum *intextus* fuit, quique ejus galeam *armavit*, tandem Coronæ Modoetiensi *intexi*, & eandem *armare*, sive interius cingere nullo negocio potuit. Errat enim Paschalius in Coronis lib. x. cap. vii. ubi *laminam ferream in summitate* Coronæ aureæ statuit, quæ vere est in interiori ambitu. Id vero hausit Paschalius ex Pontificali Romano cura Augustini Patricii, sub Innocentio VIII. Cæremoniarum Magistri, edito & emendato: qui eundem errorem inseruit etiam Cæremoniali Romano per Christophorum Marcellum vulgaro lib. I. Sect. v. cap. ultimo. In Glossam lib. II. Clement. Tit. IX. C. *de Jurejurando* mendum irrepsit, ubi Corona *argentea* Aquisgranensis, vocatur *ferrea*; Modoetiensis autem, *argentea*; quum illa *argentea*, hæc *ferrea* dici debuisset. Similis error Annales Henrici Rebdorffii occupavit A.D. 1355. pag. 76. editionis Christophori Gewoldi, ubi Carolus IV. Mediolani secunda Corona *argentea* traditur coronatus.

CAPUT II.

Basilica Sancti Jo. Baptistæ Modoetiæ a Theodelinda constructa, & ex more veterum Christianorum multis Sanctorum reliquiis ditata. Has Gregorius Magnus illuc transmisit. Ejusdem Pontificis liberalitas erga principes viros in donandis sacris pignoribus. Corona ferrea his adnumeratur: quam ex Domini clavo confectam levibus argumentis negatur.



Jam de Corona ferrea, in Basilicam Sancti Jo. Baptistæ Modoetiam translata, sermonem instituamus. Hanc pretatis ergo exstruendam curaverat Theodelinda, ex Garibaldo Rege Bavariæ progenita, quæ primum Authari, deinde Agilulfo Langobardorum Regibus nupsit. Paullus Diaconus in Historia suæ gentis lib. IV. cap. XXII. rem narrat his verbis: *Theodelinda Regina Basilicam Beati Jo. Baptistæ, quam in Modicia* (sive *Modoetia*) *construxerat: qui locus supra Mediolanum duodecim* (nunc x.) *millibus abest, dedicavit*, MULTISQUE ORNAMENTIS *auri, argentique decoravit, prædiisque sufficienter ditavit*. Addit Paullus, Theodericum Regem Gothorum pro tempore æstivo illic prætorium suum condidisse: in quo plurimum aucto & ad formam splendidæ regiæ ab se nobilitato, Theodelinda ex Rege Agilulfo A. D. 603. peperit Adalwaldum, ut idem Paullus infra testatur cap. XXVI. Hæc Basilica propter Sanctorum pignora & cultum Jo. Baptistæ postmodum habita est tanquam Palladium, ut sic loquar, sive *Oraculum* gentis Langobardorum, teste Paullo lib. V. cap. VI. Cui enim urbi tunc aderant sacra lipsana, eam præ ceteris Deo caram, tutam, locupletem, for-

fortunatamque, & contra visibilium & invisibilium hostium Cap. II. insidias defendi, majores nostri, probe erga pietatem affecti, censuerunt; quippe qui recte facere, quam contentiose de rebus sacris disputare prius ducerent. Hoc post alios adstruit Prudentius in Hymno I. de Coronis, Calagurritanos martyres ita laudans v. 4. & 115.

Pollet hoc felix per orbem terra Ibera stemmate,
Hic locus dignus tenendis ossibus visus Deo,
Qui beatorum pudicus esset hospes corporum.
Hoc bonum Salvator ipse, quo fruamur, præstitit,
Martyrum quum membra nostro consecravit oppido,
Sospitant *quæ nunc* colonos, *quos Iberus alluit.*

Magnus Paulinus Nolanus poemate XXVII. alias XXVI. rem pariter ita explicat, de Constantino Augusto loquens:

Nam Constantinus proprii dum conderet urbem
Nominis, & primus Romano in nomine Regum
Christicolam gereret, divinum mente recepit
Consilium, ut quoniam Romanæ mœnibus urbis
Æmula magnificis sequeretur dotibus urbem,
Ut sua Apostolicis munivit *mœnia latus*
Corporibus. Tunc Andream divexit Achivis,
Timotheumque Asiæ. Geminis ita turribus *exstat*
Constantinopolis magnæ caput æmula Romæ,
Verius hoc similis Romanis culmine muris,
Quod Petrum, Paulumque pari Deus ambitione
Compensavit ei, meruit quia sumere Pauli
Discipulum cum fratre Petri:

nempe Timotheum & Andream. Pari etiam modo Atto proavus magnæ Comitissæ Mathildis arcem Canossam sacris Reliquiis munivit apud Domnizonem lib. I. cap. II. ubi arx ipsa sic loquitur:

Artubus ex sacris decoravit me, velut armis.
Rex quidam donat sibi Victoremque, Coronam,

Pœ-

Pœnam cervicis nam pro diademate cœli
Sustinuit miles Victor santissimus iste;
Sancta fuit lota secumque cruore Carona.
Duxit hic hos Atto. Multos alios quoque sanctos,
Reliquias alias dedit illi Brixia magna

Piam hanc & sanctissimam veterum fidem clare nobis enarrat Theofridus Abbas in Sermone 1. de Reliquiis tomo XII. Bibliothecæ PP. Lugdunensis pag. 418. cujus sententiam, etsi verbis non brevissimis comprehensam, operæ pretium tamen erit, integram, quatenus huc facit, exscribere: *Deus has* (Reliquias) *singulis provinciarum & civitatum populis dedit, ut, dum importunis urgentur incursibus hostium visibilium & invisibilium, per harum* DEFENSENTUR *meritum. Rex enim quilibet urbis alicujus defensurus mœnia, quanto audaciara & plura hostium comperit esse agmina; tanta fortiora & numerosiora in munitionibus militum opponit pectora. Sic & Deus noster videns hostium multitudinem per totum volitare aerem, & pugnam adversus adoptionis suæ filios struere, humanæ miseriæ misericorditer consulit, & multiplicatis super arenam patrociniis, civitatem suam, idest Ecclesiam, custodit & protegit, unicuique locorum, sicut & huic nostro* ABUNDE *magnas* SANCTORUM RELIQUIAS *accommodat, quatenus dum ab indigenis digne & familiarius honorantur, iidem indigenæ earum perpetua* DEFENSIONE *firmentur*. Hæc omnia illi fidei innituntur, quam Gregorius Nazianzenus in oratione 1. contra Julianum Apostatam tomo 1. operum pag. 77. editionis Friderici Morelli, de Sanctorum martyrum lipsanis profitetur, *quarum*, inquit, *vel sola corpora idem possunt quod animæ sanctæ sive manibus contrectentur, sive honorentur*. Rideant hæc & irrideant qui omnia rident. Majoribus nostris, antique bonis, certum fuit probatissimis vestigiis insistere. Quonam vero sanctiori pignore, quam clavo Dominico, Theodelinda regiam suam

Mo-

Modoetiensem munire poterat? Hic porro Clavus inter Modoetiensis Basilicæ sacras Reliquias, & a Paullo Diacono memorata *ornamenta auri*, quibus per eandem Reginam ditata est, eminet sub cognomento *Coronæ ferreæ*: quæ tamen utrum una cum *freno* ab Ambrosianis usque temporibus apud Insubres exstiterit, ut quibusdam infimæ ætatis Mediolanensium Historicis visum est, a me post allatum Vigilii Pontificis jusjurandum, nullo pacto in disputationem vocabitur. Cap. II.

II. Sententia illa, quod Sanctus Pontifex Gregorius Magnus hanc eandem Coronam cum aliis sacris cimeliis Modoetiam miserit, uti a multis retro temporibus fert constans municipum persuasio, inniti forsitan posset ejusdem Pontificis epistolæ XII. alias VII. lib. XIV. alias XII. Præter novum Epistolarum ordinem, qui mihi alias parum arridet, vulgatum & veterem innuo, ne quemquam invitus fallam. Ibi ergo Gregorius sic Theodelindam alloquitur: *excellentissimo autem filio nostro Adalwaldo Regi transmittere phylacteria curavimus, idest Crucem cum ligno Sanctæ Crucis Domini*. Particula *idest* hoc loco eandem vim habet ac *vel*, quæ in medii ævi scriptoribus pro copula *et* sæpenumero accipi solet, ex Cangio in Glossario: ex quo pariter discimus, *phylacteria* apud Catholicos fuisse *arculas* seu *thecas*, in quibus sacræ Reliquiæ recondebantur. Consulatur etiam hac de re Hugo Menardus in notis ad Concordiam Regularum Sancti Benedicti Anianensis pag. 125. Dum *phylacteria*, a *Cruce* distincta, multitudinis numero Gregorius usurpat, singulis Reliquiis nominatim haudquaquam expressis, non unam, sed plures se ejusmodi *arculas* seu *thecas* ad Reginam & parvulum Regem misisse significat: in quarum aliqua sacri etiam Clavi laminam ferream exstitisse non abludit a vero. Ad hæc, Gregorium alia etiam sacra lipsana ad Theodelindam curasse, certissimum est, quanquam in vulgatis ejusdem epistolis de hoc sileatur. Id luculenter evincit Notitia de sacris oleis ab

co-

CAP. II. eodem Pontifice per quendam Johannem ad illam missis; quæ ex antiquissimo cortice Modoetiensi post tot sæcula nuper emersit, legiturque apud Jo. Mabillonium in Epistola de cultu Sanctorum ignotorum pag. 120. editionis secundæ, & post Acta Martyrum Theoderici Ruinarti pariter editionis II. Periit epistola, qua Gregorius ifthæc olea ad Theodelindam ferenda curavit. Periit fortasse etiam alia, qua Clavi Dominici in Coronam versi munus ad Reginam transmisit, si separatim id contigit. Sed quemadmodum oleorum Notitia post longissimum annorum curriculum novissime emersit, eodem pacto Coronæ ferreæ memoria forte aliquando speciatim emerget secundum illud Horatii lib. 1. epist. VI.

Quicquid sub terra est, in apricum proferet ætas

Interim in facello ad lævam altaris majoris Basilicæ Modoetiensis etiamnum spectatur egregia in rem nostram pictura A. D. 1444. confecta, ubi arca sacrorum pignorum referata coram Theodelinda & Adalwaldo Regibus, Mediolanensi Antistite, aliisque Ecclesiæ & aulæ ministris, nonnulli sacra vasa & Crucem manibus gerunt, Sancto Gregorio Pontifice *Coronam* regiam præferente, quæ a ferrea non discrepat, quamvis pictor pro sua audendi potestate in ea efformanda ingenio nonnihil indulserit. Nullam porro Coronam per Gregorium ad Theodelindam missam fuisse legimus præter ferream. Quid clarius ad evincendum A. D. 1444. Coronam Modoetiensem inter sacra lipsana publice recensitam? Tempus quidem certe non est antiquissimum, nec tamen hesternum. Qin vero picturæ argumentum ipsa pictura fuerit antiquius, dubitare non licet. Supra eam nuper detectam subsequentes versus leguntur, quibus epocha numeris vulgaribus consignata præfigitur

1444.

Suspice qui transis, ut vivos corpore vultus
Peneque spirantes, & signa simillima cerbit.

De

De Zavataris hanc ornavere Capellam
Prater in excelso convexa ....

Huic picturæ Modoetiensi aliam longe antiquiorem & Mediolanensem quidem copulabimus. In odeo Basilicæ Ambrosianæ intra posteriorem partem absidis, porphyreticis columnis innixæ, supra aram principem sinistrorsum, opere musivo sæculi IX. spectatur simulacrum Sancti Ambrosii, cujus vertici manus cœlestis desuper *ferream* Coronam Modoetiensem imponit. Hoc videre est in imagine, quam edidit Jo. Petrus Puricellus in Monumentis Basilicæ Ambrosianæ pag. 130. Sed ipsum de ea loquentem audiamus pag. 123. *Archiepiscopi ejus Sancti, quod mireris, caput regia vinctum est Corona: quam illi e vertice pendula supra frontem manus imposuisse videtur: quamque primo statim adspectu, simillimam ego censui* CORONÆ FERREÆ *Modoetiensi, qua Reges Italiæ coronabantur. Hæc autem quum ita se habeant, ecquem alium ego Sanctum esse Archiepiscopum heic existimem, quam Ambrosium, pontificalibus indumentis amictum? cujus propterea frontem* CORONA *illa* FERREA, *certe propter adnexum Dominicæ Crucis clavum sacra, exornarint, quia saltem per ejus successores Archiepiscopos hoc jam tempore coronari ea Reges Italiæ solerent.* Verbis Puricelli, mutam picturam animantibus, supervacaneum puto quicquam adjicere, quum res ipsa per se abunde loquatur. Hæc docent, cautos nos esse debere in rejiciendis sacris pignoribus, diutina fidelium persuasione probatis, nec evidenter apocryphis, quum certas quodammodo probationes, vel antea non observatas, quibus hodie destituimur, tempus aliquando proferre possit in lucem, ex quo nostræ ætatis præcipuæ literatorum curæ in illud incumbunt, ut ex tabulariis, carie & denso pulvere obsitis, semesas papyros membranasque, a majoribus nostris ferme neglectas, quanquam servatas, typorum subsidio in apertas luminis auras educant;

CAP. II. unde res pridem ignoratas, vel pro falsis aut suspectis habitas, illustrari & mirifice vindicari conspeximus. Eruditis notissima loquor, quæ heic singulatim recensere non attinet.

III. Verum inde constare putant, Gregorium Magnum ad Theodelindam Clavi Dominici munus nequaquam misisse, propterea quod Sanctissimus Pontifex sacrarum Reliquiarum tenax admodum fuerit. Ita quidem Coronæ ferreæ censores, qui suam in rem adferunt ex libro IV. alias III. epistolam XXX. ad Constantinam Augustam. Huic enim flagitanti caput Sancti Paulli Apostoli Gregorius nequaquam annuit, sed narratis prodigiis, quæ Apostolorum corpora tangentibus acciderant, Augustam ab hujusmodi postulatione deterret. Verum Pontificem in subjecto argumento dumtaxat loquutum, facile intelligimus; nam præterquamquod Monachi Sancti Mauri in notis ad hanc eamdem epistolam tomo II. operum pag. 709. animadvertunt concessarum ab ipso Gregorio reliquiarum exempla non deesse, inter quas Theodelindæ concessas adducunt, nos aliunde habemus, eumdem Pontificem erga Reges, Reginas, Episcopos, aliosque principes viros sacrorum pignorum renacem haud quaquam fuisse. Hoc ejus epistolas evolventi facile patet. Lib. VI. alias V. epist. VI. ad Childebertum Regem Francorum sic scribit: *claves S. Petri, in quibus de vinculis catenarum ejus inclusum est, excellentiæ vestræ direximus*. Epist. L. olim LI. ad Brunichildem Francorum Reginam *reliquias Beatorum Petri & Pauli* se misisse testatur. Lib. IX. alias VII. epist. CXXII. alias CXXVII. ad Recharedum Wisigothorum Regem hæc haber in fine: *clavem parvulam, a sacratissimo Beati Petri Apostoli corpore, vobis pro ejus benedictione transmisimus, in qua inest ferrum de catenis ejus inclusum, ut, quod collum illius ad martyrium ligaverat, vestrum ab omnibus peccatis solvat. Crucem quoque dedi latori præsentium, vobis offerendam, in qua lignum Dominicæ Crucis inest, & capilli Beati*

Jo.

Jo. Baptistæ. Ad Ecclesiarum antistites veniamus. Lib. II. epist. v. alias x. *Sanctuaria*, idest reliquias, mittit ad Felicem Episcopum Messanensem, & epist. xii. alias ix. ad Castorium Ariminensem. *Sanctuaria* erant Reliquiæ Sanctorum & earum thecæ, non tantum velamina, martyrum corporibus admota. Audiatur ipse Gregorius lib. I. epist. liv. olim lii. ad Jo. Episcopum Surrentinum: *quoniam Savinus Abbas monasterii Sancti Stephani insulæ Capri suggessit nobis, se Sanctæ Agathæ martyris* Reliquias *jam olim apud se habere concessas, & in monasterio suo vult* ipsa Sanctuaria *collocari*. Sic Sanctuaria *Reliquiarum Beati Stephani martyris* memorat lib. vi. alias v. epist. xlv. ad Leontium Ariminensem: & lib. ix. alias vii. epist. xv. olim xii. ad Chrysanthum Spoletanum, *reliquias Sanctorum martyrum Hermetis, Hiacynthi & Maximi, &* Sanctuaria *prædictorum martyrum*. Idem habet lib. vi. alias v. epist. xxii. ad Petrum Aleriensem, & lib. ix. alias vii. epist. lxxxv. alias lxxxvi. ad Fortunatum Neapolitanum. Alia exempla præsto sunt apud Cangium in Glossario.

IV. Idem sanctissimus Pontifex lib. iii. alias ii. epist. xlviii. alias xlvii. ad Columbum Numidiæ Episcopum ita scribit: *claves Beati Petri, in quibus de catenis ipsius inclusum est, tibimet pro benedictione transmisi*. Lib. i. epist. xxvi. alias xxv. ad Anastasium Patriarcham Antiochenum: *Petri Apostoli vobis claves transmisimus, quæ super ægros positæ multis solent miraculis coruscare*. Lib. vi. alias v. epist. xlix. alias l. ad Palladium Santonensem Episcopum: *reliquias*, inquit, *Sanctorum Petri & Pauli, necnon Laurentii, atque Pancratii martyrum præbuimus*. Lib. ix. alias vii. epist. lxxxvi. alias lxxxvii. ad Constantium Mediolanensem metropolitam *reliquias Beati Petri Apostoli & Beatorum Jo. & Pancratii* se misisse significat. Lib. xi. alias ix. epist. lxiv. alias xxxi. responso ix. ad Sanctum Augustinum Anglo-

CAP. II. lum Episcopum & Apostolum perferendas curavit *reliquias Sancti Sixti martyris*.

V. Ab Episcopis ad viros principes descendamus. Lib. I. epist. XXX. alias XXIX. Andreæ viro illustri largitur *sacratissimam clavem, a Sancti Petri Apostoli corpore, & de ejus catenis interius*. Epist. XXXI. alias XXX. Juliano Exconsuli atque Patricio *sacratissimam clavem a Beati Petri Apostolorum principis corpore, quæ super ægros multis solent miraculis coruscare, nam etiam de ejus catenis interius habent*. Lib. III. alias II. epist. XXXIII. Dynamio Patricio Galliarum *crucem parvulam* donat, *cui de catenis Beati Petri* BENEFICIA *sunt inserta. Per quatuor vero in circuitu partes, de Beati Laurentii craticula, in qua perustus est*, BENEFICIA *continentur*. Heic & alibi Reliquiæ dicuntur *beneficia* Sanctorum, quod in maximo beneficio habeantur. Apud Floravantem Martinellium in *Trophæo Crucis*, quod est Historia Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Via lata, pag. 115. exstat lapis inscriptus anno Mundi 6263. *Indictione octaba*, nempe A. D. 755. sub Stephano II. Pontifice, ubi sic legitur: *hæc sunt nomina Sanctorum, corum* (pro *quorum*) BENEFICIA *hic requiescunt, &c.* Lib. VII. alias VI. epist. XXVI. alias XXIII. ad Theoctistam Patriciam in fine ait Gregorius: *benedictionem Sancti Petri Apostoli clavem a sacratissimo ejus corpore transmisi*: cujus narrat miraculum. Epist XXVIII. alias XXV. *Theodoro* Medico Imperiali: *benedictionem vero Sancti Petri Apostolorum principis, quem multum diligitis, clavem a sanctissimo ejus corpore vobis transmisimus, in qua ferrum de catenis ejus clausum est*. Lib. VIII. alias VII. epist. XXXV. alias XXXIV. Leontium Exconsulem sic affatur: *benedictionem vobis Sancti Petri Apostolorum principis, clavem sacratissimi sepulcri ejus, in qua benedictio de catenis ejus est inserta, transmisimus*. Lib. IX. alias VII. epist. LII. alias LIV. ad Secundinum in fine mittit *unam crucem, clavem etiam*

pro

pro benedictione a sanctissimo corpore Petri Apostolorum principis. Etiam Gregorius Turonensis in Historia Francorum lib. x. cap. 1. testatur reliquias Sanctorum ad se missas fuisse per Magnum Gregorium. Consueverunt Summi Pontifices pro ingenti munere de *limatura* seu scobe catenarum Sancti Petri mittere ad viros primarios: quae omnium ferme reliquiarum praestantissima habebatur. Eam in aurea clavi ab altari Sancti Petri accepta includebant: haecque instar illarum efficta erat, quibus claudebatur Confessio principis Apostolorum. Vide Cangium in Glossario v. *Claves*. Altari autem Sancti Petri suberat ejus sepulcrum, ex Gregorio Turonensi lib. 1. de Gloria martyrum cap. XXVIII. Mirare antiquam majorum nostrorum pietatem, a moribus nostri temporis longe diversam! CAP. II.

VI. Pro re nata haec satis, & fortasse ad fastidium, de liberalitate Magni Gregorii in sacris reliquiis largiendis: quod praecipue cum summatibus, christiana pietate excellentibus, vel de Religione alias meritissimis ab eo factum videmus. Has egregias animi dotes in Theodelinda fuisse, apud omnes constat, quum gentem Langobardicam universam, quorum alii Ariani, alii Ethnici erant, ad veram religionem cum Agone, alias Agilulfo, Rege marito perduxerit; unde non minorem in Italia laudem, quam Clotildis in Francia, Adilberga in Britannia, Ingundis in Hispania, consequuta est, judice Carolo Cointio in Annalibus ecclesiasticis Francorum tomo II. A.D. 590. §.VI. Itaque hac ex parte Clavi Dominici munus Theodelindae factum a Magno Gregorio, verisimile omnino videtur. Sacra lipsana, quae praediximus, ab eodem Pontifice ad Theodelindam pervenisse *constans fama est, & rerum vetustas suadet*, inquit Gretserus in lib. 1. de Cruce cap. XX. ex ore socii sui Julii Nigronii. In gaza Modoetiensi exstat codicis operculum ex auro, ubi hinc & inde legitur hujusmodi inscriptio, a Mabillonio vulgata in Itinere Italico pag. 215.

EX

EX . DONIS . DEI . DEDIT
THEODELENDA . REG
IN . BASELECA . QVAM . FVN
DAVIT . IN . MODOECIA
IVXTA . PALATIVM . SVVM

VII. Hæc quum ita se habeant, post creberrimas illas & miserandas clades, quæ non unam Modoetiam, sed universos Insubres, & Italiam omnem toties vastarunt, supervacaneum, ne dicam illiberale, existimo a Modoetiensibus æqualium auctorum testimonia postulare, qui diserte testentur ab Constantino Magno ad Gregorium itidem Magnum, hinc ad Reginam Theodelindam, & subinde ad nos, Clavum Dominicum transiisse. Si enim hoc pacto argumentari liceret, continuo actum esset de universis Passionis Dominicæ monumentis, quæ catholici in variis Europæ basilicis, & potissimum in hac Urbe sancta venerantur. Huc speciatim collineavit Calvinus in farcinatione sua de *Reliquiis*, ubi homo impius explodit omnes Dominicos Clavos, & nominatim Mediolanensem. Sed strenue refutatur a Jacobo Gretsero lib. I. de Cruce cap. XX. & XCIII. Ab aliis enumerandis libenter abstineo, ne odiosi argumenti novitate piorum aures invitus offendam: quas offendi etiam par est, dum *Coronæ ferreæ* cultus, haud sane recens, exploditur. Malumus in rebus etiam non undequaque exploratis illud Baronii A.D. 326. §. LIV. usurpare: *Fides purgat facinus, quum nemo fidelium ferrum colat, sed Christi potius Passionem veneretur & adoret in ferro.* Sed *Coronæ ferreæ* præstantiam & antiquitatem examinare pergamus.

CA-

CAPUT III.

Num Corona ferrea in declarandis Italiæ Regibus antiquitus usurpata. Hasta novo Regi Langobardorum tradita, Francis etiam aliisque Septemtrionalibus propria. Non exclusit coronationem. Privilegium Gregorianum Mediolanensi metropolitæ concessum de coronandis Italiæ Regibus, immerito in dubium vocatum.



Arolus Sigonius inter sæculi XVI. Historicos, qui de anteactis rebus Italicis commentati fuerunt, ætate sua facile princeps, initio lib. I. de Regno Italiæ A. D. 591. de coronatione Agilulfi Regis hæc posterorum memoriæ commendavit: *auctores Mediolanenses, patrios sequuti Annales, asserunt coronam ei* (Agilulfo) *impositam fuisse, a Theodelinda Regina institutam, auream illam quidem, verum circulo* FERREO *interiore intextam, unde post* FERREÆ *Coronæ nomen Italico Langobardorum Regno inituit.* Concinit Josephus Ripamontius in Historiis Ecclesiæ Mediolanensis Decade I. lib. VIII. pag. 501. Idem Sigonius libro proxime laudato A. D. 601. describens Modoetiensem Basilicam hæc prodit: *loco inde accessit dignitas, postquam Corona, de qua dixi,* FERREA, *ibi custodiri, atque ea ibi coronari Reges sunt cœpti. Sic enim Mediolanenses produnt Annales, Mediolanensem Archiepiscopum eo jure a Gregorio Pontifice decoratum, ut vacante Italia Regno, ipse post XIV. dies suffraganeorum suorum concilium advocaret, atque ex eorum sententia Regem constitueret, eumque Corona* FERREA, *a Theodelinda instituta, redimiret.* Hæc Sigonius, qui non dissimulat quidem, Paullum Diaconum nusquam ostendere hoc jus ab ullo Rege Langobardorum usurpatum,

imo

Cap. III. *imo morem eis fuisse, ut hastam regi declarato porrigerent.* Sed statim subjungit: *verum nè auctoritatem prorsus Mediolanensibus abrogem, illud facit, quod Coronam hanc* FERREAM *post Carolum Magnum* OMNIBUS *Italiæ Regibus video deinceps fuisse solemnem; & quod hoc muneris Gregorium Theadelindæ petenti tribuisse, non sit absonum, vel, ut gratiam Reginæ referret, cui plurimum se debere ipse in epistolis confitetur: vel, ut Archiepiscopo accessionem dignitatis adjungeret, quam superioribus annis Langobardorum immanitate afflictam, prostratamque fuisse, sentiret.* Hactenus Sigonius, cui convenit Ripamontius Decade I. lib. VIII. pag. 512. Idem porro Sigonius initio libri IV. ait, Carolum Magnum, victo Desiderio Rege, *Modœtiæ per Archiepiscopum Mediolanensem Corona* FERREA *redimiri* voluisse, *atque, ut ita, apud posteros observaretur*, instituisse: cujus rei maximam cæremoniam *ex Rituali antiquissimo* enarrat, remque his verbis concludit: *hæc tum Thomas Mediolanensis Archiepiscopus egit.* Idem ferme literis consignavit Ripamontius Decade I. lib. IX. pag. 573. Sed Carolus Cointius in Annalibus Ecclesiasticis Francorum tomo VI. A.D. 774. §. XXX. quin hæc omnia *ficticia* sint, nequaquam dubitare videtur *propterea quod in antiquis auctoribus nulla sit hujusce rei memoria.* Sed nunquid omnes *antiqui auctores* supersunt? Carolum Magnum alicubi in Langobardorum Regem coronatum fuisse æquum est credere, nam in diplomatibus suis post hoc tempus, *Langobardorum Rex* appellari voluit quo ævo nemo *Rex* dicebatur, nisi coronatus fuisset. Qui vero Patriciatus Romanorum insignia suscipere voluit, anne Regni Langobardorum insignia non suscepisse dicendus erit? Cointius superius negaverat, a Sigonio Coronam, qua Carolus Magnus a Thoma Archiepiscopo Mediolanensi fuit redimitus, *ferream* vocari: quod tamen falsum esse, ex Sigonianis verbis proxime adductis jam patuit.

Po-

II. Potissima argumenti vis, qua, ex Sigonii verbis mutuata, suum istud veterum silentium Cointius roboravit, in eo sita est, quod Paullus Diaconus apud Langobardos in more positum scripserit, ut *hastam* seu *contum* Regi declarato traderent, nulla *ferreæ Coronæ* facta mentione. Video hanc sententiam, tacito Cointii nomine, probari etiam Mabillonio in Annalibus Benedictinis tomo II. pag. 227. Nollem viris doctis hoc excidisset. Verba Paulli Diaconi ex libro VI. cap. LV. hæc sunt: *Langobardi Hildeprandum* (Liutprandi Regis nepotem) *foras muros civitatis* (Ticinensis) *ad Sanctæ Dei genitricis Ecclesiam, quæ ad Perticas dicitur, in Regem levaverunt: cui dum* CONTUM, *sicut moris est*, TRADERENT, *in ejus* CONTI *summitate cuculus avis volitando veniens, insedit*. Est contus hasta ferro præfixa. Hanc vero non uni Langobardi, sed etiam alii Septemtrionales populi, & potissimum Franci, æque ac Langobardi natio Germanica, Regibus suis tradiderunt: quos tamen regia Corona præterea non insignitos, nemo, ut infra visuri sumus, jure contendent. Hoc testimoniis luculentissimis, ex penitiori antiquitate deductis, mox pandam. Childericus I. qui A.D. 456. Meroveo patri successit in Regno Francorum, in Anulo aureo Tornaci reperto cum hujusmodi *hasta* seu *canto* expressus apparet apud Jo. Jacobum Chiffletium in Anastasi cap. VII. pag. 96. Gregorius Turonensis de Childeberto II. a Guntchramno Rege Francorum in Regem cooptato A. D. 585. sic loquitur lib. VII. cap. XXXIII. *data in manus Childeberti* HASTA, *ait: hoc est indicium, quod tibi omne Regnum meum* TRADIDI. *Ex hoc nunc vade, & omnes civitates meas, tanquam tuas proprias, sub tui juris dominationem subjice*. Aimoinus Floriacensis idipsum affirmat lib. III. cap. LXIX. *tunc demum Guntheramnus Rex* HASTAM, *quam manu gerebat, nepoti* TRADIDIT, *inquiens: hac, amantissime nepos, indicio noveris, te mihi successurum in Regno*. Theodebertus ad

CAP. III. Regnum Francorum evectus A. D. 534. hujusmodi *hastam* gerit in nummis apud Blancum pag. 22. Quid locupletius ad evincendum, æque apud Reges Langobardos ac apud Francos eundem morem in *hasta traditione* viguisse?

III. Ad secundam stirpem Regum Francorum jam transeamus, quando pro *hasta* invaluit nomen *baculi*: quem a regali sceptro distingui, eumque & *virgam* nonnunquam vocari, optime animadvertit Jo. Michael Heineccius in Syntagmate de veteribus Germanorum, aliarumque nationum sigillis pag. 96. Annales Bertiniani A. D. 849. apud Duchesnium tomo III. pag. 204. *Ludovicus & Carolus germana caritate convenientes, tanta amoris vinculo devincti paruerunt, ut alter alteri* BACULOS *publice* TRIBUENDO, *Regnum* (sic legendum, non *Regum*, ut vulgo legitur) *uxores & liberos superstiti commendarent*. Monachus Sangallensis in Gestis Caroli Magni lib. I. cap. XXXVI. apud Canisium tomo I. Antiquæ lectionis pag. 393. baculum regium ita describit: *baculus de arbore malo, nodis paribus admirabilis, rigidus & terribilis, cuspide manuali ex auro vel argento cum cælaturis insignibus præfixa, portabatur in dextera*. Crescente luxu *baculus* ligneus evasit aureus, cujusmodi Jo. VIII. Pontifex unum misit ad Carolum Calvum in Annalibus Bertinianis pag. 244. Cum his confer quæ disseruit Mabillonius in Re diplomatica lib. II. cap. XVIII. §. III. In Ordine ad coronandum Regem, edito per Hugonem Menardum cum Sacramentario Gregoriano pag. 278. *Baculus* appellatur *sacri regiminis signum*, & a *sceptro* distinguitur. A Francis ad Germanos & Anglos procedamus. Witickindus inaugurationem Ottonis Magni describens lib. II. non solum *baculum*, sed *sceptrum* & *diadema* recenset. Scriptores Angli Jo. Brompton, Gervasius Dorobornensis, & Matthæus Paris in coronatione Richardi I. Regis Anglorum præter *sceptrum regale* allatam fuisse ajunt *virgam regalem*, *habentem in summitate co-*

lum-

lumbam. Hæc non abludit a cuculo ave, quam in *summitate conti* Regis Langobardorum insedisse observavimus ex Paullo Diacono. Res fortasse manavit ex Aquila militaribus Romanorum signis imposita: unde Juvenalis sat. x. v. 43. Cap. III.

Da nunc & volucrem, sceptro quæ surgit eburno.

Ejusdem *baculi* seu *virgæ* formam videre est apud Baluzium tomo II. Capitularium pag. 1276. & 1279. In eo cum Chiffletio superius adducto omnes conveniunt, per *hasta* seu *baculi* aut *virgæ* traditionem significari quam recentiores vocant *investituram*. Quippe apud veteres *hastam* pro symbolo juris & dominii habitam, exemplis apud Barnabam Brissonium lib. VIII. de Verborum significatione pag. 256. planum reddi mihi videtur. Ex his manifeste colligitur, *hastam* regum dexteræ immissam, non coronationis apparatum & pompam, sed regnorum dominium, possessionem, & investituram omnino denotare. Quemadmodum vero summæ potestates *hastam* seu *contum*, vel *baculum*, aut *virgam* adhibuerunt, sic privati in privatis contractibus & investituris usi sunt *fuste*: pro quo alias *baculum*, seu *fistucam*, aut *ramum arboris* usurpari consuevisse discimus ex Cangii Glossario sub hisce vocabulis; & præcipue verbo *Investitura*. Adi, si lubet, etiam Hieronymum Bignonium ad Marculfum lib. I. cap. XIII. Franciscum Mariam Florentinium in Commentario de Comitissa Mathilde lib. III. pag. 105. 108. 151. & Angelum a Nuce in notis ad Leonem Ostiensem pag. 294.

IV. Reges autem Francorum, ceterosque superius memoratos, quos *hastam* æque ac Langobardos usurpasse jam vidimus, solemni ritu coronatos fuisse, ampliori probatione non indiget, quum nondum occurrat quisquam, qui de hoc dubitaverit. Sufficit eorundem nummos inspicere a Blanco aliisque vulgatos. Quare ex his patere arbitror, Langobardorum etiam Reges coronari consuevisse. Unum adhuc monebo. Angelus Breventanus in eorum Stemmate coro-

CAP. III. natos repræsentat non tantum Reges, sed etiam Principes & Duces Beneventanos, ab iisdem ortus: primos utique ex ingenio; at secundos ex nummis, quorum nonnullos ipse habeo. Regis Desiderii aurei & argentei occurrunt cum hoc lemmate circa crucem in antica parte D. N. DESIDER. REX. In postica vero FLAVIA . LVCA. & in medio circulus vel Corona. Satis ergo superque intelligi puto, per traditionem *conti*, Hildeprando factam apud Diaconum, significari ejus immissionem in Regni Italiæ dominium, non vero solemnem quasi ritum coronationis: quam propterea Modoetiensi Corona peractam, ex Pauli testimonio male intellecto viri docti perperam negant. Quid si ego Liutprandum ipsum, cujus exemplum contra Langobardorum coronationem præpostere adducitur, Corona regia insigniri consuevisse tandem mostravero? Vulgatus Anastasius seu scriptor æqualis in Gregorio II. pag. 110. editionis Moguntinæ narrat eundem Regem, qui contra Romanos in campuro Neronis secesserat, Pontificis concione mollitum, *ita ut se prosterneret ejus pedibus, & promitteret, se nulli inferre læsionem: atque sic ad tantam compunctionem piis monitis flexus est, ut, quæ fuerat* INDUTUS, EXUERET, *& ante corpus Apostoli poneret mantum, armillisiam, balteum, spatam, atque ensem deauratum, necnon* CORONAM *auream, & crucem argenteam*. Si Liutprandus *Coronam* auream cum ceteris ornamentis regiis *induit, exuitque*, quis credat, non coronatum fuisse? Ex more Christianorum Principum & Regum id factum est, qui Deum oraturi ad Confessionem Beati Petri, Coronam prius deponebant, unde Theodosius junior & Valentinianus Augusti in edicto post Concilium Ephesinum apud Labbeum tomo II. pag. 1237. de hoc more ita loquuntur: *Dei templum ingressuri, foris arma relinquimus, & ipsum etiam* DIADEMA DEPONIMUS *& quo submissioris Imperii speciem præferimus, eo magis nobis Imperii majestas* pro-

promittitur. Hic pius mos viguit etiam apud Græcos, nam Cap. III.
Leo Grammaticus in Michaele pag. 466. hæc scribit: *ad regias autem usque portas progressus Imperator*, DIADEMA, *prout Imperatores* SOLENT, *non* DEPOSUIT, *sed ad sanctas usque fores cum eo penetravit*. Et infra: *& Imperatore, Photio Patriarchæ stemma capite ablatum tradente, ut in sanctam mensam inferret*.

V. Jam vero quod attinet ad privilegium Gregorianum, teste Sigonio, Mediolanensibus concessum, Contrio refraganti opponimus sæculi XI. Historicum luculentum Arnulphum, ab Godefrido Leibnitio editum tomo II. Rerum Brunsvicensium pag. 727. Sed prius quædam ex Carolidarum historia delibemus. Quum Ludovicus Pius regna filiis dividens, Lotharium in Regno Italico successorem declarasset, id ægre tulit Rex Italiæ Bernardus. Quare in Pium conspiravit, eique præ aliis adhæsit Anselmus Mediolanensis Antistes. Vide Eginhardi Annales A. D. 817. Utque Anselmus concoquere non potuit de Mediolanensis Ecclesiæ suæ Gregorianis juribus a Ludovico detractum, dum, eo inconsulto, Lotharium in Italiæ Regem cooptavit in Charta divisionis apud Baluzium tomo I. Capitularium pag. 578. §. XVII. Certe Arnulpho ex Anselmi successoribus quid simile contigisse videbimus. A Ludovico Pio ad Camlum Calvum ejus nepotem transeamus. Hunc A. D. 876. Ticini in palatio regio optimates facti & civiles totius Regni Langobardici, duce Ansperto Mediolanensi Antistite, *unanimiter in protectorem, dominum & defensorem*, nempe in Regem sibi elegerunt. Horum conventui ex officio primus omnium subscripsit idem *Anspertus Mediolanensis Archiepiscopus* apud Baluzium in Capitularibus tomo II. pag. 237. & in alio conventu anni insequentis pag. 243. Integro ferme sæculo ferius Langobardici proceres dominationis Berengarii II. Willæ uxoris & Adelberti filii, Regum Italiæ, pertæsi, de eorundem tyran-

tyraonidis jugo excutiendo, serio cogitarunt. Quare Walpertus Mediolanensis antistes, utpote omnium dux, *Ottonem Teutonicorum adiit Regem, suffragium postulans, moxque illi Regnum*, SE INSTANTE, POLLICETUR *Italicum*. Ita Arnulphus lib. I. cap. IV. Ex Luitprando quoque, scriptore æquali, vel ejus continuatore lib. VI. cap. VI. Walpertus *Ottonis potentiam adiit, indicans, se* NON POSSE PATI *Berengarii, Adelbertique, necnon* Willæ *sævitiam*. An vero tantam pollicitationem Ottoni I. Walpertus obtulerit ex decreto sibi tradito ab Gregorio Pontifice, quod quidem putat Sigonius lib. VI. A. D. 961. statim patefaciemus.

VI. Otto Italiam intravit, & Mediolani a Walperto regiam Coronam suscepit A. D. 961. *adstantibus Beati Ambrosii suffraganeis universis multisque Ducibus, atque Marchionibus*, teste Landulpho seniore, sæculi XI. Historico Mediolanensi, cujus codex MS. servatur in Bibliotheca Ambrosiana. Gualvaneus Flamma apud Puricellum pag. 298. Landulpho adstipulatur his verbis: *& statim Archiepiscopus Mediolanensis convocatis septemdecim Episcopis suffraganeis suis & Baronibus & Comitibus universis, Ottonem in Regem Italiæ designavit*. Hunc subinde a Walperto coronatum Gualvaneus, nonnullis de suo fortasse additis, ex Landulpho affirmat, quem exscripsit Sigonius. Quis non videt, Decreto Gregoriano per Sigonium memorato hæc omnia aperte congruere? Verum ulterius progrediamur. Ottone III. e vivis erepto, & cum eo Germanorum Cæsarum sobole extincta, Arduinus Eporediensis Marchio pro insita animi sui magnitudine Regnum Langobardicum Italis restituere laboravit. Quare ipse in Ticinensi conventu Principum Italicorum Rex eligitur, coronaturque die XV. Februarii A. D. 1002. Sed mox ab electione acerrimum passus est adversarium Arnulphum Mediolanensem metropolitam, qui se insigniter læsum expostulavit propterea quod Arduinus

Rex

Rex Italiæ salutatus, coronatusque fuisset contra jus uni Arnulpho concessum, semperque ab ævo Caroli Magni penes Mediolanensem Ecclesiam servatum, neque ulla temporum iniquitate interruptum. Ob eam rem Arnulphus Episcoporum, Abbatumque Concilium Laude convocat, *atque frequenti concione antiquum Decretum Divi Gregorii Pontificis recitat, in quo diserte scriptum sit, ut vacante Italiæ regno Archiepiscopus Mediolani intra dies* XIV. *suffraganeos suos advocet, atque ex illorum sententia Regem Italiæ creet.* Hæc ex veteribus monumentis apud Sigonium initio lib. VIII. de Regno Italiæ: quæ profecto in caussa fuerunt, cur Henricus II. Italiæ Rex contra Arduinum intrusum, auctore Arnulpho, destinaretur. Fuit Henricus Papiæ coronatus, utique ab Arnulpho, A.D. 1004. ex Hermanon Contracto Canisiano pag. 577. & quidem die XII. Maii, ut patet ex editis Chronicis Ambrosiania. Cap. III.

VII. Post Henricum, orta controversia inter utrunque Heribertum, Ravennatem, & Mediolanensem Archiepiscopos in coronatione Conradi II. Imperatoris, Heribertus (Ravennas) *dexteram Regis invasit, ac tenuit* (inquit Arnulphus lib. II. cap. III.) *faciens quod Mediolanensi* COMPETEBAT *Antistiti: quod cum omnium displiceret in oculis, commonebant eum* (Ravennatem) *præsules ceteri, quatenus a* NON SUO *desisteret.* Mox subjungit hac de re Imperatoris concionem, ubi inter cetera hæc habet: CERTUM *est quidem, Reverendi Patres, quia sicut privilegium est Apostolicæ Sedis consecratio Imperialis, ita Ambrosianæ Sedis* PRIVILEGIUM *est electio & consecratio Regalis: unde ratum videtur, ut manus Archiepiscopi Mediolanensis, qua benedicit, &* PRIUS CORONAM IMPONIT *Regni, si præsens affuerit, repræsentet Regem ad Imperium promovendum Sancto Petro & ejus Vicario, quatenus Ambrosiano testimonio jure possit imperare, qui Ambrosiana consecratione didicit & cœpit regnare.*

Ita

Cap. III. Ita Arnulphus, qui hæc se decerpsisse testatur ex tabulis, sive, ut ait, ex *tomo* hac de re *in sempiternum testimonium* scriptu in Concilio Romano, *post dies aliquos auctoritate Apostolica* indicto. Id contigit A.D. 1027. in Basilica Lateranensi sub Pontifice Jo. XIX.

VIII. Ex his non obscure deducitur, *privilegium* Ecclesiæ Mediolanensi ab Gregorio Pontifice Romano concessum, ut ex veteribus monumentis scribit Sigonius, non statim cum Cointio, viro alioqui doctissimo, inter *ficticia* reiciendum, quando assertorem habet antiquum scriptorem, immo & Concilium Romanum. Ceterum ad Gregorium V. hoc privilegium referri non potest. Obiit enim A. D. 999. privilegium vero Gregorianum mox circa A. D. 1002. appellatur *antiquum*: & luculenta ejus vestigia tanto ante in veteri historia supersunt. Et tamen qui dedita opera Coronam ferream traduxit, ipse in Ambrosiano Collegio scribens, privilegium Gregorianum, post Cointium, rationibus sane de trivio petitis, *commenticium* proclamare non dubitavit, hoc pacto non solum Modoetiæ parum æquus, sed ipsi Mediolanensi Ecclesiæ: cujus decora nunc auget qui ei præest Eminentissimus & Reverendissimus Benedictus S. R. E. Cardinalis Odescalcus, pietatis & reliquarum virtutum merito inclytus, quem honoris caussa nomino. At, inquies, *Corona* per Mediolanensem antistitem Regis Italici capiti imponenda, *ferrea* ab Arnulpho non appellatur. Quid tum? Profecto nec *aurea*, nec *argentea* appellatur. Aliunde vero liquet, *ferream* a circulo interiori appellatam. Et quidem vernaculus scriptor antiquus Ricordanus Malespinius in Historia Florentina cap. LXII. Coronam ab Conrado susceptam, *ferream* vocat: *la Corona del ferro*. Interim sufficit, nos ostendisse adversus Cointium ejusque asseclas, rerum a Sigonio memoratarum, in *antiquis auctoribus*, quos ipse diserte, licet generatim, laudavit, testimonium superesse, ne nu-

dius-

diutertius excogitatas putemus: quanquam mirari subeat, Cap. IV. per eundem Comitum prærogativis Modoetiensibus silentium antiquorum opponi, quum, præterquamquod omnes antiqui auctores Insubres aut exteri, qui eas memorare potuissent, ad nos haudquaquam pervenerint, ipse alias veterum etiam scriptorum auctoritati haud multum aliquando pro arbitratu suo deferre consueverit, quemadmodum egit tomo v. A.D.752. §.v. ubi aulicas gratias aucupaturus, Pipini Regis Francorum inaugurationem ab Zacharia Pontifice institutam primus omnium contra veterum scriptorum disertam auctoritatem explosit, ipse propterea ab aliis explosus.

CAPUT IV.

Anselmus Mediolanensis metropolita ex officio Coronam ferream imposuit Conrado III. Augusto. Eadem Corona perperam sigillata. Describitur & cum aliis comparatur. Coronationis formula Modoetiæ servata. Ex variis coronationum actis & testimoniis Coronæ ferreæ præstantia & antiquitas fuse probantur.



Rnulpho Mediolanensi Historico in superiori capite memorato succedaneus venit alter Mediolanensis item Historicus, qui initio sæculi xii. floruit, Landulphus a Sancto Paulo, cognomento *junior*, ut a *seniore* ejusdem pariter nominis Mediolanensi Historico distinguatur. Is ergo Landulphus junior apud Puricellum in Ambrosianæ Basilicæ Monumentis pag. 467. hæc habet de Conradi III. Imperatoris coronatione, Modoetiæ facta: *Cono quoque Rex, qui dum Henricus pater ejus vivere, per contractationem Mathildis Comitissæ, & officium*

 hujus

CAP. IV. *hujus Anselmi de Rhaude, fuit coronatus Modoetiæ &c.* Sigonius hæc illigavit A.D.1128. Idem Landulphus cap.xxxix, apud Puricellum pag. 579. *quum autem clerus & populus idem* (Mediolanensis) *de coronando Rege ipso tractaret, Pontifex idem Anselmus a Leuco descendit ad* MODOETIAM, *qui est* PRIMUS *locus coronæ Regis Italiæ*. Sic Landulphus, tanquam de re suis temporibus jam antiqua, & passim exploratissima. Infra vero: *de cetero ipse* (Anselmus Archiepiscopus) *quasi consentiens communi omnium voto, in Ecclesia Sancti Michaelis, quæ est* MODOETIÆ, *benedixit & unxit, &* CORONAM *electo Conrado in festo Sancti Petri posuit*. Inde Landulphus oculatus testis profectum se ait ad Ecclesiam Sancti Johannis *solemniter cum Rege*, Missamque ibi audivisse. Iterum pag. 581. ait Conradum ab eodem Anselmo coronatum Modoetiæ, & in Ecclesia quoque Ambrosiana. Quid porro inerat huic Coronæ, ut Imperatores per Mediolanensem Archiepiscopum decorandi, tanta sollicitudine & comitatu, non quidem in urbem regiam, aut in triumphale aliquod Capitolium, sed *Modoetiam* exiguum oppidum properarent? Profecto aliquid sacri, singularis & admirandi illi adhæsisse oportuit. Hoc vero est *lamina ferrea*, vix unius digiti parvi altitudinis, cujus ambitus interior extenditur ad duos palmos Romanos architectonicos, tresque uncias & semis, quæ mensuram quatuor digitorum efficiunt. Totus hic ambitus viginti septem unciis & semis mensuræ architectonicæ Romanæ, conficitur. Ipsa Corona est ex auro purissimo, encausto & gemmis XXII. varii coloris ditata, & summo vertici capitis aptanda, quæ ad trium digitorum altitudinem pertingit. Latitudo, quam dicunt circumferentiam, extra laminam ipsam nequaquam progreditur. Est sine ullis radiis, vittis, aut redimiculis, & superne vacua, uti diximus: quæ ejus vetustatem produnt: eique persimilis est, quam inter triginta variarum Coronarum effigies exhibuit Cangius in Dissertatione

tione xxiv. ad Historiam S. Ludovici Regis Francorum, auctore Jo. Joinvilla pag. 303. num. xi. Forte etiam proxime accedit Coronæ Patriciatus Caroli Magni in tabula, quam ex Gnorismate Paulli Petavii adduxit Chiffletius in Anastasi Childerici cap. ix, pag. 130. & postea Mabillonius in Supplemento diplomatico pag. 40. & in Annalibus tomo II. pag. 227. Hanc enim Patriciatus Coronam, *aureum circulum* vocari video a Wilhelmo Malmesburiensi lib. v. de Gestis Anglorum pag. 167. editionis Wechelianæ. Nostræ Coronæ favet Marcus Wulsonius in Scientia heroica cap. xxxvii. ubi observat, *antiquos Francorum Principes, immo & Reges primæ stirpis Coronas non gestasse, sed simplices duntaxat ex auro circulos.* Hæc mirifice congruunt tempori, quo instituta est Corona Modoetiensis, nimirum sæculo vi. Eam nemo melius descripsit, quam Tristanus Calchus lib. iv. pag. 80 Historiæ Mediolanensis, quam exeunte sæculo xv. conscripsit. Dabo verba Tristani: *est autem* CIRCULUS FERREUS, *quem Corona aurea, gemmis, margaritisque ornata, extrinsecus circumducta complectitur. Intus ferrum apparet, a quo &* NOMEN TENET. *Servatur ea in opido Moguntiaco, media inter Mediolanum & Abduam fluvium. Modoetiam vulgus appellat: quæ tamen dictio a Paullo usurpatur.* Hactenus Calchus, qui superius eandem Coronam & *Theadelindæ diadema, & simulacrum veteris Imperii* appellaverat.

II. Sed qui ei bellum indixit, reliquas Coronas tam latas fuisse obiicit, ut tempora commode cingerent; contra vero, Modoetiensem summo tantum vertici aptari. Erras, Critice, erras; nam *diadema* proprie sumtum cum *Corona* proprie sumta confundis. Nos tibi Corippum sexti sæculi auctorem opponimus, qui Justino II. Augusto & *diadema* & *Coronam* in solemni ejus inauguratione per Jo. CPolitanum Patriarcham impositam ita describit lib. II. de Laudibus Justini cap. v.

 Post-

Postquam cuncta videt ritu perfecta priorum,
Pontificum summus, plenaque ætate verendus
Adstantem benedixit eum: cœlique potentem
Exorans Dominum, sacro DIADEMATE *jussit*
Augustum VINCIRE *caput*, SUMMOQUE CORONAM
Imponens APICI *feliciter*.

Coronæ ferreæ explicandæ hisce verbis Corippi nihil aptius & convenientius excogitari poterat. Itaque nugari plane est affirmare, hanc nostram olim in alios usus fuisse procusam. Eam ex archetypo fidelissime expressam in fronte hujus Dissertationis nostræ exhibuimus, quandoquidem sinceram & genuinam ejus imaginem, nunquam adhuc visam, conspicere optavit etiam Cosmus de Arena in Serie Marchionum Tusciæ pag. 56. *Aurea & pretiosissima* præter laminam ferream vocatur in Pontificali Romano fol. LXIV. editionis Lugdunensis A. D. 1540. apud Hectorem Peuet.

III. Bartholomæus Zucchius Modnetiensis edidit Historiam Coronæ ferreæ Mediolani A. D. 1613. ubi nonnulla incerta, quædam minus accurate distincta, nec satis probata reperiuntur, a nobis tamen identidem adstruenda. Ibi subsequentem Regum Italiæ coronationis formulam in albo lapide in templo Præcursoris insculptam adducit, quam Ottonis III. sæculo adscribit. Ego propter characterem Teutonicum Ottone IV. vetustiorem non puto. Formula hæc est: *altissimi Dei &* APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA *concedente, prout constitutum est, Modoetiæ, quæ caput Lombardiæ & Sedes Regni illius esse dignoscitur, in sancto oraculo Sancti Johannis Baptistæ* FERREO *diademate, de jure regni corono te, prius electum juste atque unctum, Regem fertilis Italiæ. Archipresbyter hujus Ecclesiæ*. Bonincontrus Morigius in Annalibus MSS. a Corio, Paullo Morigio & Zucchio sæpe laudatis, lib. I. cap. X. hæc habet: *Archiepiscopus Mediolanensis debet in Ecclesia Modoetiensi coronare Imperatorem eo quod sit maximus Prælatus*

tus Regni Lombardorum. Licet, si deficeret, quum Archipresbyter Ecclesiæ Modoetiensis ab Apostolica Sede in Pontificalibus honoribus ampliatus, tanquam magnus Episcopus, fuerit, de jure potest ibi Imperatorem coronare. His quæ scribit Morigius, consonant insculpta antiquitus marmorea monumenta in Basilica Modoetiensi, ubi Archipresbyter pontificalibus indumentis ornatus Regi in solio sedenti Coronam ferream imponit, adstantibus utrinque optimatibus. Singula describit Zucchius in Historia Coronæ ferreæ pag. 77. Censores tamen contendunt, Regem clavo Dominico ornandum in genua procumbere, non sedere debuisse. Hi nimirum pari pacto contendent, Helenam & Constantinum coram altero clavo, quem equi freno inseruerunt, procumbere debuisse, quod num fecerint, ipsi viderint, qui mores antiquos & novos egregie callent. Canonici Lugdunenses dum augustissimum Eucharistiæ sacramentum in Missæ sacrificio sublevatur, in utrunque genu nequaquam procumbunt: & tamen ritus eorum a duobus S. R. E. Cardinalibus Lotharingo & Turnonio contra censuras Facultatis Parisiensis probari meruit: ergone omnes in Calvinistarum sententiam abjeruot? Absit. Vide Richardum Simonium epist. XXVIII. inter selectas tomo I. At Carolus V. Bononiæ Corona ferrea redimiendus in genna procubuit. Quare desinant religioni Modoetiensium illudere, dum prærogativam coronandi Regis potius, quam ipsum Dominici clavi thesaurum in marmoribus suis effingere potuerunt, quo suos posteros ab hujusmodi vexationibus tuerentur. Jam reliquas Regum Italicorum inaugurationes Corona ferrea peractas enumeremus. Cap. IV.

IV. Sigonius in lib. IV. de Regno Italiæ A. D. 781. de Thoma Archiepiscopo Mediolanensi hæc in literas misit: *Pipinum* (Caroli Magni filium) *Modoetiæ, exemplo jam a Carolo instituto*, FERREA CORONA *donavit*. Infra A. D. 813. *In Italia vero Bernardus* (Pipini filius) *jussu Caroli Rex ab*

Ar-

CAP. IV. *Archiepiscopo Mediolanensi* MODOETIÆ *coronatur, Regnum administrare, patris exemplo, instituit.* Demum A.D. 823. *Lotharius in Italiam proficiscens, frequenti occursu populorum excipitur, ac rite ab Archiepiscopo Rex* MODOETIÆ *coronatur.* Sed imperiosi critici objiciunt, Pipinum Romæ ab Hadriano Pontifice in Regem unctum, ut Annales Francorum testantur; ergo, ut ipsi regerunt, Modoetiæ ab antistite Mediolanensi coronari non potuit. Quid tum si Romæ & Modoetiæ Coronam acceperit? Pipinus senior, cognomento Brevis, hujusce junioris avus, ab Stephano II. Pontifice unctus fuit in Regem Francorum A. D. 754. quod pariter Annales Francorum testantur. Sed charta a Philippo Labbeo edita in Miscellaneis curiosis cap. v. §. x. hanc unctionem *secundæ coronationis* nomine appellat. Id recte quidem, nam A. D. 751. *primam* acceperat ab Sancto Bonifacio Archiepiscopo Moguntino. Utramque Mabillonius recenset tomo II. Annalium pag. 153. & 166. Vir maximæ eruditionis Ludovicus Abbas de Longuerue in Annalibus MSS. a Clotario II. ad Pipinum latine perductis, hujus *primam* coronationem statuit A. D. 752. quo Childericus depositus est; *secundam*, quam *honorariam* appellabimus, anno quem dixi 754. Vide sub iisdem annis Antonium Pagium, cui Abbas de Longuerue Annales suos nuncupavit. Quid ergo vetat nos dicere Pipinum nepotem & Romæ ab Hadriano I. & Modoetiæ ab Thoma Archiepiscopo in Regem Italiæ coronatum? Hoc pacto Conradum III. Modoetiæ & Mediolani coronatum audivimus. Fridericum I. Ticini & Modoetiæ coronatum postea videbimus. At Bernardus, qui Romæ coronatus non fuit, nusquamne coronari debuit? Ab Antistite Mediolanensi eum Modoetiæ coronatum vero est maxime consentaneum. Quod de Pipino dixi, de Lothario quoque & de Ludovico II. ejus filio dicendum est, quorum primus Romæ a Paschali I. coronam accipere potuit A. D.

A. D. 823. & similiter Modoetiæ. Alter a Sergio II. in Regem Italiæ, quod ait Anastasius, Romæ, & Modoetiæ pariter coronari potuit. CAP. IV.

V. Labente sæculo IX. Carolidarum stirps defecit. Tunc Berengarium I. ex Duce Fori-Julii in Regem Italiæ coronatum prodit auctor æqualis in Panegyrico de ejus laudibus lib. I. v. 59. pag. 22. editionis Valesianæ.

contendit ad urbem
Irriguam, cursim Ticini abeuntibus undis:
Sustulit heic postquam regale insigne, CORONAM,
Non alias raptim cupidus pervadere terras

Consonant tabulæ archetypæ a Sigonio laudatæ, utinam editæ, lib. VI. A. D. 888. quæ ajunt Berengarium ab Anselmo Mediolanensi Antistite coronatum. Idem Sigonius lib. VI. A. D. 921. *Rodulphum*, inquit, *in Italiam degressum lætis omnes animis exceperunt. Pulsa illius auxilia Veronam Berengario, Papiæ Regem acclamatum, per Lambertum Archiepiscopum* CORONARUNT. Liutprandus hoc innuere videtur lib. II. cap. XVIII. ubi ait, Rodulphum, Berengario fugato, *Regni solium Papiæ* adeptum. De Hugone vero Sigonius A. D. 926. *Rex summo omnium studio salutatus*, CORONAM *Mediolani ab Archiepiscopo sumsit*. Ex Liutprando lib. III. cap. IV. Hugo *venit Papiam, cunctisque conniventibus* REGNUM SUSCEPIT. Lotharium Hugonis filium Mediolani in æde Ambrosiana Itali *Regem sibi constituerunt*, inquit Liutprandus lib. V. cap. XIII. Lothario A. D. 950. mortuo, Berengarius II. Eporediensis Marchio, Willa uxor, & filius Adelbertus *die Dominica, quæ est quinctadecima die mensis* (Decembris) *in Civitate Papia ad absidem Sancti Michaelis sic electi sunt Reges, ut præessent Italiæ: qui inde exientes* LAUREATI; *cum Willa uxore ipsius Berengarii Indict.* IX. Hinc emergit A. D. 950. Ita Chronicon Novaliciense apud Duchesnium tomo III. pag. 836. De Ottone I. & III. deque Arduino, Henrico

CAP. IV. rico II. Conrado II. aliisque jam dixi, Gregorii Pontificis decretum, Mediolanensi metropolitæ concessum defendens.

VI. Morigii Annales MSS. Modoetienses a me superius laudati diploma Ottonis III. memorant, in quo Modoetia *caput Lombardiæ & sedes regni illius declaratur*. Ad hæc opidanis indultum testantur, ut sigillo uterentur cum Cruce & *Corona ferrea*, cui hoc lemma circumscriberetur

Est Sedes Italiæ Regni Modoetia magni.

Zucchius in Historia Coronæ ferreæ pag. 92. sigilli ectypon exhibet, cujus genuinam imaginem adstruunt marmora, & tabulæ pictæ, Modoetiæ adhuc superstites. Sigonius lib. VIII. de Regno Italiæ A. D. 1046. ait Henricum III. Imperatorem *ferream* Vrdonis Archiepiscopi Mediolanensis manu *de more Coronam in æde divi Ambrosii* urbana recepisse. De Conrado III. ex Landulpho jam dixi, cui nunc addatur Otto Frisingensis in Chronico lib. VII. cap. XVII. ubi etiam diplomatis Ottoniani pro Modoetia veritatem hisce verbis confirmat: a Mediolanensibus *honorifice suscipitur* (Conradus III.) *ac ab eorum Archiepiscopo Anselmo, Modoyci* (nempe Modoetiæ) SEDE ITALICI REGNI, *in Regem ungitur*. Radevicus lib. I. cap. XLIV. idem ferme habet de Friderico I. Ænobarbo: *Princeps Romanus a Mediolano castra movens, apud Modoicum* (sive Modoetiam) SEDEM REGNI ITALICI, *coronatur*. Mox addit: *quam Ecclesiam* (Modoetiensem) *dudum a Mediolanensibus subactam ac fere destructam, pristina libertati reddidit*, SEDEM*que propriis expensis magnifice reparari jussit*. Idem Otto Frisingensis in Gestis lib. II. cap. XX. ait Fridericum die X. Aprilis A. D. 1155. Ticini coronatum in Ecclesia Sancti Michaelis. Ejusdem sæculi XII. præstantissimus Historicus & Poeta Guntherus adstipulatur lib. III. *Ligurini*, sic enim inscripsit poema historicum de rebus gestis Friderici I. in Lombardia, quam *Liguriam* de more sui sæculi appellat. Ipse vero sic canit:

Co-

Comiter exceptum Sancti Michaelis ad ædem, CAP. IV.
Qua veterum fulgent antiqua palatia regum,
Producunt, nitidumque caput GEMMANTE CORONA
Cingitur.

Fridericum rebus Modoetiensium alias contra Mediolanenses favisse testatur ipsemet Radevicus lib. II. cap. VIII. *ibi quoque* (in Roncalia) *Fridericus Augustus de proprietate Modoetiæ, ubi* SEDES REGNI ITALICI, *ut dictum est, esse dignoscitur, contra Mediolanensis caussam assumens, felicibus arbitris, gloriose, justitia media, de lite triumphavit*. Hæc confer cum illis, quæ de æmulatione inter proximas urbes initio operis dicebamus. Radevico jungatur Guntherus in libro VIII. Ligurini, ubi tamen carmini inserviens, *Modoinum* pro *Modoetta* usurpavit.

Tunc demum victa Fridericus ab urbe recessit,
Modoinumque petens, PRISCO *dignatus* HONORE.
Illustrare locum, SACRO DIADEMATE *crines*
Induit, & dextra gestavit sceptra potenti.
Hanc fortuna dedit, Ligurumque potentia dives
Eximiam REGNI PROAVORUM *tempore* SEDEM
Presserat & longa victam ditione tenebat.
Sed placidus Princeps PRIMÆVO *cuncta* DECORI
Restituenda putans, injustis legibus illam
Eximit, PRISCUMQUE *loco reparavit* HONOREM.

Guntherus *priscum honorem* Modoetiæ semel & iterum extollit, eam *Regni* Italici *Sedem proavorum tempore*, Mediolanensium potentia compressam, & *primævo decori* restitutam testatus. Anne *sacrum* diadema ferreum appellat, propterea quod sit clavo Dominico insigne? *sanctum* etiam dictum fuisse, postea videbimus.

VII. Gunthero in *honore* Coronæ ferreæ, & in antiquitate prærogativæ Modoetiensis Rolandinum subsequentis sæculi Historicum adsentientem præstat audire. Is ergo in

CAP. IV. Chronico lib. XI. cap. V. de Ezelino immanissimo Tyranno, Modoetiæ incubante A. D. 1259. ita scribit: *burgum Modittam attentavit intrare, volens eam privare forsitan illa nobili dignitate* CORONÆ FERREÆ, *quæ illic est ab* ANTIQUIS *nostris in honorem Lombardicæ libertatis hac de caussa reposita, ut scilicet, quandocunque fuerit Romanorum Imperator, post electionem de se factam in Regem Alamannorum, hic idem* CORONA *illa* FERREA *primitus coronetur*. Ante Rolandinum Godefridus Viterbiensis in Chronico, quod dicavit Urbano III. Pontifici, parte VII. pag. 458. editionis Jo. Pistorii agens de quatuor Imperatoriis sedibus in Occidente, sic cecinit.

Inde Modoetiæ regali sede locari,
Post solet Italia summa Corona dari.

Ab Eriderico I. ad Ottonem IV. Imperatorem gradum faciamus. Hunc *in die Resurrectionis Christi Dei anni* MCCX. *operante rem sacram Uberto Pirovaneo Archiepiscopo* (Mediolanensi) *adstanteque Volfgerio Patriarcha* (Aquilejensi) *in æde Ambrosiana* FERREA *Corona* insignitum habemus ex Calcho libro XIII. pag. 269. cui adhæret Sigonius paullo post initium lib. XVI. ubi eandem Coronam, *antiquum Regni Italici monumentum* appellat. Verum id contigit A. D. 1209. quo Abbas Urspergensis in Chronico pag. 313. editionis Basileensis A. D. 1569. apud Petrum Pernam, hæc de Ottone IV. literis consignavit: *insignia quoque Imperialia apud Mediolanum commisit, unde magnum favorem a Mediolanensibus acquisivit*. Quidnam fuerint hæc *Insignia*, postea explicabo. Tunc igitur Otto Coronam ferream suscepit: quod habemus ex Bernardino Corio parte II. Historiarum pag. 182. editionis Venetæ anni 1565. Gualvaneus Flamma in Chronico majore cap. 984. & in Manipulo florum cap. 244. Sabbato Sancto hanc cæremoniam illigavit. Ex his corrige Ptolemæi Lucensis Annales pag. 127. editionis I. Lugdunensis,

sis, ubi Otto IV. A. D. 1208. *Modoetiæ ferream Coronam* Cap. IV. *accepisse* narratur.

VIII. Quæ hucusque dixi, abunde refellunt summi viri Onuphrii Panvinii sententiam, semel, iterum & tertium expressam in libello de Comitiis Imperatoriis pag. 367. editionis Wechelianæ, ubi Henricum VII. primum omnium putavit Mediolani Coronam ferream suscepisse, *consuetudine*, ut ait, *cum ceteris quoque ejusmodi novis ritibus inventa post Fridericum II. Imperatorem*. Nihil falsius & tanto viro indignius proferri poterat. Fuit sane Panvinius in universæ antiquitatis studio clarissimus, & magna cum laude versatus; sed in medii ævi Italicis monumentis se hospitem prodidit dum pag. 368. hæc scripsit: *neminem præterea superiorum Imperatorum ab Ottone I. ad Fridericum II. hoc diademate* (ferreo) *coronatum fuisse, unquam memini apud veteres auctores me legisse*. Nos toto sæculo XIII. neminem præter Ottonem IV. *Corona ferrea* insignitum reperimus, partim ob cruenta Italicarum urbium dissidia, partim etiam, quod a Friderico II. cui Mediolanenses A. D. 1220. coronationem denegarunt, teste Corio parte II. pag. 92. ad Henricum VII. nullus Germanorum Cæsarum in Italiam descenderit, prætérquamquod insequenti capite ipsam Coronam ferream dolo malo surreptam diu latuisse visuri sumus.

CAPUT V.

Henricus VII. Imperator Modoetiæ coronari statuit. Ejus hac de re ad Canonicos Modoetienses epistola. Legati Apostolici edictum in detentores Coronæ ferreæ, a Turrianis ablata. Supplicia, ejus fœneratoribus a Deo inflicta, unde illius sanctitas comprobatur. Post XLVII. annos per Vicecomites redemta, & Modoetiensi Basilicæ restituta. Henricus Corona ferrea noviter facta Mediolani coronatus, Modoetiensium juribus cavit. Discrimen inter hanc novam & illam antiquam Coronam ferream.



Enricum VII. *Corona ferrea* redimitum historici æquales una voce testantur. Et primo quidem Cortusii lib. I. cap. XII. de Novitatibus Paduæ, quorum verba hæc sunt: *Imperator stans Mediolani misit literas ubique, annuncians, se debere a Legatis Summi Pontificis in Modoetia* CORONA FERREA *coronari: quæ literæ præsentatæ fuerunt Paduæ in MCCCXI. die I. Januarii, post Domino Alberto de Castello: quæ coronatio statim fiet in die Epiphaniæ: cui coronationi Legati Paduæ interfuerunt honorifice*. Sed Albertini Mussati narratio lib. I. cap. XII. de Gestis Henrici VII. prætereunda non est: *triumphans igitur* (inquit Mussatus) *in Mediolano Rex Henricus*, CORONA FERREA *insigniri juxta legis Imperialis sanctionem* ANTIQUAM, *statuit, evocarique undique populos, dimissis edictis, ad diem certam in ipsa Mediolani urbe & sanctissimi Ambrosii æde seu oraculo. Quanquam disceptatum, an Modoetiæ id fieri oportuerit, ut plurimum moris* ANTIQUI *fuerat; decisum tamen & illico, fieri nihil interesse. Illud quoque Principum, Ba-*

ro-

ronum ac populorum jam subjectorum frequentia & alacritate effectum est. Addit, *Coronam ferream*, qua Henricus coronatus est, *lauream* dictam fuisse, vocabulo sumto a *laurea* corona, qua Imperatorum capita cingebantur. CAP. V.

II. Zucchius pag. 108. epistolam Henrici VII. recitat, ad Archipresbyterum & Canonicos Modoetienses ea de re scriptam die XXV. Decembris A. D. 1310. Aliam, sed ejusdem tenoris, adducit Melchior Goldastus in Constitutionibus Imperialibus tomo III. pag. 320. quam huc transferendam censemus, quia rebus Modoetiensibus favet.

HENRICUS
Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Francorum & Langobardorum,

Canonicis Modoetiensibus devotis suis ac dilectis gratiam suam & omne bonum.

Committimus vobis & mandamus, ut Archipresbyter cum tribus aliis senioribus, qui sciunt quid opus sit ad collationem Coronæ ferreæ, sine ulla dilatione veniant ad nos, portantes omnia privilegia & instrumenta, quæ apud vos Modoetiæ adservantur: & super his dabitis fidem Alardo de Rosaes & Clecumpio de Gemule nostris Capitaneis, qui has præsentes vobis apportant.

Datum Mediolani anno secundo nostri Regni.

Viden, Imperatorem de re sacra & præcipuo cultu habita, tractantem, ad Canonicos & rerum sacrarum ministros, non ad civiles Modoetiæ magistratus scripsisse? Bartholomæus Aresius ad calcem Chronologiæ Abbatum Cœnobii Ambrosiani pag. 92. edidit epistolam Arnaldi de Pelagrua Cardinalis & Legati Apostolici, ad Monachos ejusdem Cœnobii scriptam, in qua præ ceteris hæc leguntur, a nobis variis mendis typographicis purgata: *quia instat tempus coronationis, quam Serenis-*

CAP. V. *renissimus Princeps & Dominus Henricus, Dei gratia Rex Romanorum illustris recepturus est in partibus istis, reddimur corde solliciti, ut circa coronationem ipsius adhibeamus diligentiæ studium efficacis. Sane quum idem Dominus Rex ad* EXQUIRENDUM UBI & IN QUO LOCO SIT CORONA FERREA, *quam habiturus est, sicque* HABUERUNT PRÆDECESSORES, *necnon ad perscrutandum, sciendum, & se plenius informandum de modo & forma tenendis in coronatione jam dicta, mittat ad vos Venerabilem virum magistrum Galassum de Comitibus de Mangone Canonicum Cameracensem, Domini Papæ Capellanum, ipsius Domini Regis consiliarium, & familiarem, præsentium portitorem, discretionem vestram requirimus & rogamus attente, vos nihilominus & vestrum quemlibet monentes pro primo, secundo, & tertio termino, vobisque sub excommunicationis, quam in vos & singulos vestrum, & interdicti, pœna, quam in Capitulum & Conventum, ipsa, ex nunc, prout ex tunc, monitione præmissa, ferimus in his scriptis, vosque manere volumus innodatos ipso facto, ni monitis & mandatis nostris obtemperaveritis, & in hac parte districte præcipiendo, mandamus, quatenus eidem magistro Galasso* UBI SIT CORONA *prædicta, & scripta qualibet necessaria ad modum & formam tenenda, & quicquid scitis vel scire potestis per vos vel alios, circa coronationem eandem, referatis, eumque informetis plenarie, ut in reditu suo sciat dicto Domino Regi referre per ordinem, nullo dimisso, omnia, quæ circa Coronam & coronationem hujusmodi sint agenda.* Hactenus Cardinalis Arnaldus Apostolicæ Sedis Legatus in literis suis die xxv. Novembris A. D. 1310. Mediolanum transmissis ex urbe Astensi, ubi Henricus aderat, ex Bernardo Guidonis in MS. Codice Vaticano 2040. fol. 49. ex Sancto Antonino in Chronico Parte III. Tit. xxi. cap. II. §. IV. & ex Tristano Calcho lib. xx Historiæ Mediolanensis pag.

pag. 445. unde exploratum habemus quanto studio Sacerdotium æque ac Imperium servandæ & custodiendæ *Coronæ ferreæ* Langobardicæ tenerentur. Cap. V.

III. Legati Apostolici anathemata pro eadem Corona recuperanda, & ex occultis latebris educenda, satis produnt, illam dolo malo tunc latuisse. Hoc Turrianorum Mediolanensium fraude patratum, ex MSS. Annalibus Modoetiensibus Bonicontri Morigii narrat Zucchius in Historia Theodelindæ cap.xxxvi.pag.49. Sed Calchus omnino est audiendus, qui gravissimo stilo facinus explicat lib.xxi. pag.31. Historiæ suæ, ærumnis & infortuniis ante indicatis, quæ Philistæis raptoribus Arcæ Domini contigerunt, ex lib.i. Regum cap. v. & vi. Fuit enim pestilens & lethalis omnibus, ad quos pervenit, donec una cum vasis aureis in locum suum remissa est. Postquam tanto exemplo Historicus prudentissimus lectoris animum ad sacrilegii exsecrationem, & metum divinæ iræ parasset, *Coronæ ferreæ*, totiusque reliqui Thesauri Modoetiensis nefariam direptionem ita describit: *Tali fato exemplum hic quoque temporibus contigit. Meminimus supra in rebus Langobardorum Regum, non mediocrem vim auri conditam Mogunti*a (sive Modoetiæ) *in templo Divi Jo. Baptistæ, cura & diligentia Theodelindæ Reginæ. Ea, quantum hactenus viderim, religiosa & intacta mansit usque ad Turrianorum tempora: qui regnum necessaria impensa defensuri*, SACRO AURO *manum injecere, pignori fœnerato locavere, a quibus ad alios atque alios mercatores transivit: observatumque est, eos omnes omnibus suis fortunis excidisse. Abfuit autem per sex & quadraginta annos, quoad demum Matthæus Vicecomes admonitus quorum in manibus Thesauri erant, eos, persoluta pretio, redemit, atque liberaliter ad loculamenta sua hoc anno* (1319) *remisit: quod quo difficiliori tempore & rerum conditione perfecit, eo diuturniorem in gente sua fortunæ prosperitatem*

san-

CAP. V. *sancivit.* Ita Calchus, qui facri Modoetiæ Thefauri detentores fuis fortunis excidiffe reftatur, ejufdemque reftitutioni, per Matthæum factæ, Vicecomitum profperitatem adfcribit. Hæc produnt Criticorum, qui in Collegio Ambrofiano Coronam ferream vellicarunt, indiligentiam in confulendis Mediolanenfium Hiftoricis, qui Turrianorum facinus apertiffime improbant, & a Deo manifefte punitum teftantur. Sed qui Coronam ferream una cum reliquo Thefauro ab iifdem Turrianis ablatam, in tanta luce veterum monumentorum negare non potuerunt, credi nolunt, *Turrianos adeo irreligiofos fuiffe, ut infigne Dominicæ mortis monumentum in ufus profanos converterent*, nempe fœneratoribus darent, ut revera dederunt. Scilicet quibus omnem facrum Thefaurum exfecrabili aufu auferre non fuit religio, hos metipfos ab Corona, Clavo quidem Dominico inftructa, fed tamen aurea & multis gemmis ornata, facrilegas manus abftinere debuiffe, jure arbitraberis. Latuit ergo *Corona ferrea* ab A. D. 1273. ad A. D. 1319. Ex his clare perfpicimus cur Arnaldus Cardinalis de Pelagrua ecclefiafticas pœnas Monachis Ambrofianis indixerit, nifi *Coronæ ferreæ* latebras Henrico VII. patefeciffent. Verum, quum Legati Pontificii anathemata, & Henrici Augufti diligentiæ & ftudia omnia adhibita in exfpifcanda veteri & germana Modoetienfium *Corona*, fruftra evafiffent, in hoc ftrenue laboratum eft, ut faltem præteritarum coronationum tabulæ, inftrumenta & diplomata e fcriniis Modoetienfibus extracta Mediolanum perferrentur, quo negotium imponendæ *Coronæ ferreæ*, quæque ejufdem Coronæ artificium & formam fpectarent, coram Augufto difcuti poffent. Epiftolam hac de re ad Modoetienfes fcriptam, fupra recitavimus. Quare, refte Muffato, fancitum eft, Henricum VII. falvis Modoetienfium juribus, Mediolani coronandum: quumque ipfa Modoetienfium vetuftiffima *Corona ferrea* præfto non effet, Landus de Senis, Aulæ Cæfareæ aurifaber, juffus eft

est novam *Coronam ferream*, *lauream* dictam, fabricare, quam Castonus Turrianus Archiepiscopus, postmodum ad Patriarchatum Aquilejensem evectus, in æde Ambrosiana capiti Imperatoris imposuit inter sacra Missæ solemnia, ut Francis & Germanis in more positum fuisse animadvertit Cangius in notis ad Paullum Silentiarium pag. 555. Vide apud Ughellum tomo IV. pag. 1109. diploma, quo Henricus tunc die VI. Januarii A. D. 1311. cavit præstantiæ & juribus Episcopi Vercellensis in eadem cæremonia servandis. Maxima pompa id contigit, ad quam visendam ex universa Italia oratores & populi confluxerant. Eam Calchus lib. XX. pag. 450. accurate describit, si unum excipias, ubi ait, *ferream Coronam Moguntia* (nempe *Modoetia*) *allatam*. Hunc tamen lapsum subinde emendavit in subsequentibus libris, ubi prodidit, sacrum Thesaurum Modoetiensem, ideoque & *Coronam ferream*, quæ in illo præcipue numerabatur, post XLVI. annos, quibus latuerat, per Matthæum Vicecomitem fuisse tandem redemtum, & Modoetiensi Ecclesiæ postliminio restitutum. Modoetiensibus tamen, qui, teste Bernardo Guidonis in MS. Codice Vaticano 2040. fol. 49. expostulaverant, quod Henricus Mediolani coronari voluisset, ipse gratificaturus, Modoetiam profectus est, & lustrata æde celeberrima, privilegia opidanis confirmavit, quibus a jurisdictione prætoris Mediolani eximuntur. Bernardinus Corius in Historia Mediolanensi Parte II. pag. 398. ait, coram civitatum Lombardiæ oratoribus jussu Henrici publicis tabulis cautum, ne Mediolanensis coronatio Modoetiæ juribus imposterum obesset. Ceterum Corona ferrea pro inaugurando Henrico noviter structa, ejusdem auctoritate Abbati cœnobii Ambrosiani servanda solemnibus formulis tradita est die XIX. Aprilis A. D. 1311. Tabulas hac de re confectas vulgavit Aresius post Chronologiam Basilicæ Ambrosianæ pag. 93.

CAP. V.

CAP. V. IV. Num hæc fictitia Corona ferrea adhuc supersit, omnino ignoramus. Sed accurate describitur apud Jo. Villanium lib. IX. cap. IX. pag. 384. editionis Florentinæ in glossa, quæ ex margine in ipsam Historiam irrepsit, quamque Bartholomæus Valorius editionis auctor se in nullo veterum codicum reperisse, in libri ora adnotavit. Glossæ scriptor ait ergo, Coronam ferream *ex nitido chalybe fabricatam instar serti laurei, quo triumphatores Augusti olim coronabantur, & lapillis pretiosis ornatam*. Consonat Gualvaneus Flamma in Manipulo florum MS. cap. 129. ubi eam vere *ferream* fuisse dicit, Imperatricis *auream*. Etenim uxor Henrici Margarita etiam coronata est. Hanc Augustam graphice describit & egregie laudet Mussatus lib. I. de Gestis Henrici VII. cap. XIII. Genuinæ Coronæ Modoetiensi hæc minime congruunt, quæ, si unam laminam interius circumductam excipiamus, tota quanta est, non ex chalybe, sed ex auro purissimo constat, & cum laureis Coronis Imperatorum nihil omnino commune aut simile habet. Apud Historicos etiam æquales frustra quæris hujus novæ Coronæ ferreæ commentum. Qui enim Henricum VII. *Corona ferrea* cinctum audierunt & fortasse etiam viderunt, consuetam illam veterem existimantes, quam per XLVI. annos nemo viderat, quaque ab A. D. 1209. nemo coronatus fuerat, Modoetiensem de more dixerunt. Eodem pacto auctores nonnulli, etiam æquales aut suppares, non semel coronationes Mediolani factas, Modoetiæ tribuarunt propterea quod Modoetiensi Corona peractæ fuissent, & revera Modoetiæ alias fieri consuevissent. Quospiam hujusmodi errores in hac ipsa Dissertatione a me castigatos reperies.

CA-

CAPUT VI.

Canonici Modoetienses Coronam ferream cum sacro Thesaura defodiunt. Eorum unus jamjam moriturus rem aperit Mediolanensi metropolitæ. Corona cum omni Thesaura effossa mittitur Avenionem. Ejusdem varia fortuna & prodigia. Restituitur Madoetiensibus. Ejus sanctitas agnita.

QUadriennium dumtaxat a recuperata genuina *Corona ferrea* effluxerat, quum, ingruentibus bellis Italicis, Canonici Modoetienses a præteritis infortuniis edocti, de Thesauro jam dicto ne rursus in rapaces manus inciderer, serio cogitantes, ejus sepeliendi quatuor ex suis, ad hoc selectis facultatem tradiderunt: qui sacramento sese mutuo obstringentes, ne quisquam ex iis, præterquam morti proximus, illum alteri panderet, in varia loca migrarunt. Accidit interim, ut illorum unus Aichinus Vercellensis mense Novembris A. D. 1324. Placentiæ jamjam moriturus Thesauri absconditi loculum, Canonicis Modoetiensibus secreto patefaciendum, cum Aicardo Mediolanensi Archiepiscopo communicaret: qui per Galeatium Vicecomitem Mediolano expulsus, Placentiæ exsulabat, ex Abrahamo Bzovio in Annalibus A. D. 1324. §. XIII. Sed Aicardus fidei præstitæ immemor, Bertrando Cardinali Sancti Marcelli Legato Apostolico, Placentiæ moranti, rem nunciat. Quare per Aimericum ærario pontificio præfectum sacer Thesaurus ex Modoetiensibus foveis eductus est, Avenionemque ad Summum Pontificem Jo. XXII. perlatus: qui pro animi sui religione & pietate facinus improbavit, jussitque omnem Thesaurum Canonicis Avenionensibus custodiendum

CAP. VI. tradi coram nonnullis ex Modoetia & Jo. Castellano tabellione, donec ad Ecclesiam Modoetiensem commode perduci posset. Hæc ex Annalibus Modoetiensibus MSS. Bonincontri Morigii Historici æqualis Bernardinus Corius Parte III. pag. 455. 464. 466. & Zucchius in Historia Theodelindæ cap. XXVI. Ex quibus palam fit, *Coronam ferream*, qua Ludovicum Bavarum Mediolani die 31. Maii A. D. 1327. a Guidone Tarlato Episcopo Arretino, homine schismatico, cinctum tradunt Jo. Villanius lib. X. cap. XIX. Albertus Argentinensis in Chronico pag. 124. editionis Wechélianæ, Corius Parte III. pag. 469. aliique, non veram & priscam Modoetiensem fuisse, quæ Avenione tunc servabatur, at ficticiam illam Henrici VII. Sed nondum finis Thesauri Modoetiensis fatorum. Nam perditissimus nebulo, cui ad sacrarium Avenionense accessus patebat, arca Thesauri clam ferreis uncis dirupta, eundem abstulit. Sed vix ad portam Rhodani fugam alio maturaturus advenerat, quum sibi videre visus est milites pontem custodientes, ne Thesaurus illac transportaretur: quod prodigium in singulis urbis portis offendit. Quare hoc eventu impius raptor perterrefactus, de Thesauro in urbe ipsa caute vendendo deliberavit. Quid plura? Ejus partem ad Vannum Florentinum aurificem clam detulit, se & alias habere non obscure innuens. Vannus, juxta ac ceteri urbis aurifices, de furto pridem edoctus, sacrilego homine blandis verbis detento, ad Pontificem currit, remque aperit, Quare fur captus, nefarii sceleris meritas pœnas luit. Vannus gazophylacio pontificio præficitur, ducentis florenis aureis pro mercede annua adsignatis. Thesaurus in arca ferrea clausus tholo templi ad aram principem, ut ab omnibus cotidie spectari possit, adpenditur, donec tuto Modoetiam mittatur.

II. Sublato interim Jo. XXII. & Clemente VI. eidem suffecto, Canonici & opidani Modoetienses jussu Johannis Vice-

Viceconiitis Mediolanensis metropolitæ A. D. 1343. ad Summum Pontificem mittunt Jo. Baldironum oratorem, sacrum Thesaurum postulaturi, voto eorundem opitulante Legato Apostolico, qui Dertonæ tunc morabatur: scripsit enim hasce literas ad Pontificem, in quarum epigraphe falsus est Zucchius, Benedicto XII. scriptas fuisse opinatus. Cap. VI.

PONTIFICI MAXIMO

CLEMENTI VI.

Sanctissime Pater & Domine.

CUm olim THESAURUS *Sancti Jo. Baptistæ Modoetiæ, in qua consueverunt Romani Imperatores coronari, fuerit propter bellorum discrimina, quæ tunc in illis vigebant partibus, de mandato Apostolicæ Sedis Legati ad Romanam curiam transportatus, quem felicis recordationis Dominus Jo. Papa XXII. vestræ clementiæ prædecessor penes Capitulum Avenionensis Ecclesiæ deponi mandavit, custodiendum inibi quoadusque Modoetia sic ad manus fidelium & obedientiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ foret deducta, quod tute posset in præfata Ecclesia Sancti Jo. conservari: & tunc idem Capitulum restituere libere & sine contradictione aliqua teneretur, prout instrumento inde confecto & signato manu & signo Jo. Castellani, notarii publici, ut apparet primæ faciei, continetur: verum quum, ut vestram Beatitudinem nosse credo, & hoc idem sentio, Modoetia sub devotione & obedientia vestræ Sanctitatis & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ per Dominos Mediolani, vesicos & dictæ Ecclesiæ Vicarios, tute præsentialiter gubernetur, potest* THESAURUS *iste tempore in Templo maximo Sancti Jo. Baptistæ absque periculo custodiri, & magistro Jo. Baldirono oratori ejusdem opidi, latori*

CAP. VI. *tori præsentium, juxta dicti instrumenti continentia, ejus fieri restitutio, si tamen videbitur clementiæ vestræ: quam Christus continenter custodeat, & servet Ecclesiæ suæ Sanctæ.*

Datum Dertonæ die VII. *Maii MCCCXLIII.*

III. Legatus Apostolicus, qui hasce literas pro Modoetiensibus ad Pontificem scripsit, fuit Guillelmus Presbyter Cardinalis Sanctorum Quatuor Coronatorum, quem, rebus Italicis contra hostiles conatus Turcarum & Ludovici Bavari consulturum, Dertona tunc habuit, ex Petro Maria Campo in Historia Placentina tomo III. pag. 94. Confer Odoricum Raynaldum tomo XVI. Annalium A. D. 1342. §. 16. Tandem vero officiis etiam Matthæi de Ribaldis Modoetiensis, tunc recens ex Ticinensi Episcopatu ad Veronensem translati, Canonici Avenionenses A. D. 1344. die festo Inventionis Sanctæ Crucis, quod notatu dignum est, sacrum Thesaurum jussu Pontificis Modoetiensi oratori tradiderunt: qui in area ferrea clausus penes Veronensem Episcopum caute servatus est, donec in comitatu Legati Apostolici, profecturi ad coronandum Andream Regem Siciliæ, die XIII. Martii anni 1345. Mediolanum, & mox die XX. ejusdem mensis ab Johanne Archiepiscopo Modoetiam in Basilicam Sancti Jo. Baptistæ maxima populorum lætitia & religione perductus est. Legatus, cujus nomen non exprimit Zucchius, fuit Guillelmus Episcopus Carnotensis, ex Raynaldo A. D. 1345. §. 24. Idem Zucchius, qui hæc, a nobis identidem novis probationibus roborata, describit in Historia Theodelindæ cap. XXXIX. subinde in sequenti capite accuratum catalogum lipsanorum ejusdem sacri Thesauri contexuit, ubi præ ceteris *Corona ferrea* recensetur: quam pro re sancta perpetuo habitam clarissime ostendunt quæ hucusque narravimus, dum maxima religione in Basilicis, Deo

& cul-

& cultui rerum sanctarum dicatis, tam Modoetiæ, quam Ave- Cap. VI.
nione servata est. Eam, uti rem sacram, & Domui clavo constantem, sub nomine reliqui *Thesauri* Sancti *Jo.* Baptistæ fuisse comprehensam dubitari nequit. *Thesauri* nomen Lipsanothecis tribui, omnibus patet. Sugerius Abbas *Sanctissimarum Reliquiarum* THESAURUM prædicat apud Duchesnium tomo IV. pag. 347. qui *Thesaurus* sic dictus, atque etiamnum Parisiis in Cœnobio Dionysiano servatus, inæstimabilem & undequaque venerandam Lipsanothecam complectitur, a R. P. Michaele Felibienio descriptam in ejusdem Cœnobii Historia pag. 536. Hinc nemo miretur, in *Thesauro* quoque Basilicæ Modoetiensis Clavum Dominicum sub vocabulo *Coronæ ferreæ*, auro gemmisque locupletatæ, hactenus latuisse, & sub eadem appellatione ab auctoribus, non dedita opera, sed tralaticie de ea scribentibus, memorari. Etiam Theodericus Ruinartus in præfatione ad Acta martyrum §. 70. ex sacris veterum monumentis observat Sanctorum Reliquias antiquitus habitas loco THESAURI *inæstimabilis, & auri gemmaque pretiosa.*

CAPUT VII.

Carolus IV. Augustus, salvis Modoetiensium juribus, Mediolani coronatur vera Corona ferrea. Ejus sanctitas comprobata. Dicteria in Coronam ferream, & fabulæ contra jura Modoetiensium. Coronationes Sigismundi & Friderici III. Imperatorum. Balthassar Fidelis Archipresbyter Modoetiæ, & Sixtus V. Pontifex contra Coronæ ferreæ sanctitatem præpostere adducti.



IN pristinum sacrarium restituta veteri *Corona ferrea*, Carolus IV. Imperator ejus suscipiendæ percupidus in templo Modoetiensi Sancti Jo. Baptistæ, votum suum Pontifici Innocentio VI. significavit: qui Carolo permisit, ut tres Patriarchas, CPolitanum, Aquilejensem, & Gradensem in ea celebritate adhiberet, si Mediolanensis Antistes muneri deesset. De hoc quoque iisdem Patriarchis imperia largitus est, ut, a Carolo ea de re postulati, *ferreæ Coronæ* apices illi conferrent, salvis tamen juribus Ecclesiæ Modoetiensis. Pontificis literas vulgavit Raynaldus A. D. 1354. §. 9. quarum laciniam heic assuam: *sed quoniam* CORONÆ FERREÆ *traditionem & impositionem hujusmodi, alibi, quam in dicta Ecclesia Sancti Johannis, & ab alio, quam Mediolanensi Archiepiscopo celebrandam, posset forsitan dilecti filii Roberti electi Mediolanensis voluntas (quod absit) vel impotentia suadere; nos cupientes favere memorati Regis in hac parte commoditatibus, in quibus utilitatis publicæ incrementa spe fertili confidimus promovere, fraternitati vestræ per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus si præfatus electus requisitus nequiverit, aut noluerit officii sui debitum in traditione ac impositi-*

positione CORONÆ FERREÆ *forsan exsolvere memorata, vos, vel duo, aut unus vestrum, qui super hæc ab eodem Rege fueritis requisiti, seu etiam requisitus, prædictam* CORONAM FERREAM *in eadem Sancti Johannis vel alia Ecclesia, sicut rerum & temporum commoditate ac opportunitate, provida consideratione pensatis, expedire videritis, auctoritate nostra (servatis alias solemnitatibus, quæ consueverunt in tanta solemnitate servari) tradere ac imponere studeatis.* Hactenus Innocentius. Anno vero insequenti 1355. in festo Epiphaniæ Mediolani in Ecclesia Sancti Ambrosii Carolus IV. *de licentia Summi Pontificis per Archiepiscopum Medidanensem* CORONA FERREA *honorifice coronatur*, inquiunt Cortusii lib. XI. cap. II. Albertus Argentinensis in Chronico pag. 163. & Corius Parte III. pag. 528. idipsum confirmant, utut Matthæus Villanius scriptor æqualis lib. IV. Historiarum cap. XXXIX. ad Coronæ potius, quam ad coronationis locum respiciens, memoriæ lapsu, *Modoetiam* pro *Medidano* eidem coronationi adsignaverit. Digna tamen sunt maxime peculiari observatione subsequentia ejusdem Historici verba: *il dì della santa Epifania del mese di Gennajo del detto anno (1355) fu coronato della* SANTA CORONA *del ferro con quelle solennità e feste, che i Signori Visconti gli vollono fare.* Anne hoc Villanius de nihilo hausit? Cur *sanctam* dixit *Coronam ferream*? Nos *argenteam* Aquisgranensem, aut *auream* Romanam, nunquam *sanctas* dici observavimus. Villanius *sanctam* dixit Coronam ferream propterea quod clavo Dominico esset insignis. Hoc profecto Villanii testimonium, tam disertum, nos docet, *Coronam ferream* præcipua religione cultam, alias *sanctam* non appellasset: quod elogium *Cruci*, *Sindoni*, *Veronicæ*, & *Clavis* Dominicis tribui consuevit. Quid apud Catholicos vocabulum *sanctitatis* denotet, nemo ignorat. A Guillelmo Nangio in Gestis Sancti Ludovici Regis Francorum apud Duchesnium tomo V.

H pag.

CAP. VII. pag. 330. A. D. 1231. Clavus Domini *sanctissimus* dicitur. SANCTAS *reliquias* CLAVI *& Coronæ Domini* appellat Ludovicus VI. Rex Francorum in diplomate apud Michaelem Felibienum ad calcem Historiæ Abbatiæ Sancti Dionysii pag. XCIII. Similiter loquitur ejusdem loci Abbas Sugerius apud Duchesnium tomo IV. pag. 351. Immo ex antiquioribus Ambrosius, Theodoritus, Sozomenus, Cyrillus Alexandrinus, Cassiodorus, Gregorius Turonensis, Theophanes, Paullus Diaconus & post omnes Nicephorus Callistus in locis per me olim adductis, Clavo Domini in frenum verso illud Zachariæ XIV. 20. una voce adplicuerunt: *in die illa erit quod super frenum equi est*, SANCTUM *Domino*. Denique a Vigilio Pontifice in Jurejurando superius allato cap. I. §. VII. SANCTOS *clavos* & SANCTUM *frenum* appellari jam vidimus. In Menæis Græcorum die VI. Martii festum inventionis Clavorum signatur, & *venerandi* appellantur: ἡ εὕρεσις τῶν τιμίων ἥλων *inventio venerandorum Clavorum*. Hæc ad roborandum & illustrandum Villanii testimonium, per se alias luculentissimum, dicta sufficiant. Diem obiit Villanius ineunte Julio A. D. 1363. teste Dominico, alias Petro, Boninsignio in Historia Florentina lib. III. pag. 511. Ex his deprehenditur duplex alucinatio Jacobi Cassolæ Placentini in Chronico MS. ubi ait Carolum IV. Mediolani coronatum A. D. 1353. per Patriarcham Aquilejensem ejus fratrem, scilicet Nicolaum, qui tamen cæremoniæ solum interfuit. Georgius Bartholdus Pontanus in Bohemia pia lib. V. pag. 59. editionis Wechelianæ adfert epistolam Caroli IV. ad Ernestum Pragensem Archiepiscopum Pisis datam die XIX. Februarii A. D. 1355. ubi hæc habet: *nuper ad suscipiendam* CORONAM FERREAM, *quam nostri prædecessores Domini Romani Reges inter trifarias Imperii sacri Coronas in secunda sua coronatione sunt soliti coronari*, *Mediolanum* adplicuimus, *& Corona eadem* fuimus *solemniter insigniti*.

Post

II. Post restitutionem antiquæ & genuinæ *Coronæ ferreæ* in Modoetiensem Basilicam, quum fictitia illa, jussu Henrici VII. fabrefacta & Mediolani servata, insuper haberi & omnino vilescere cœpisset, & Mediolanense vulgus, patriæ suæ gloria & majestate superbiens, ægre concoquere posset, veram & antiquissimam Coronam apud Modoetienses oppidanos custodiri, eandem conviciis de trivio petitis maledice traduxit, tanquam Coronam nihili habendam. Quare contumeliæ & invidiæ caussa non amplius *ferream Coronam*, sed ex *palea* & *palearem* vocitare cœperunt. Andreas Alciatus Mediolanensis in Formula Romani Imperii pag. 26. editionis Basileensis Jo. Oporini A. D. 1559. ingenue fatetur, *contemtus caussa paleam* dictam fuisse *prisca loquendi more, quavis res & nihili*, PALEA *dicitur: ex quo & Aristophanes inquilinos Atticos* PALEAM *civium in antiqua Comœdia appellavit*. Eadem prorsus haber Gaudentius Merula lib. II. de Gallis Cisalpinis cap. IX. Sigonius lib. VIII. de Regno Italiæ A. O. 1026. *quam*, inquit, Modoetiensem *Coronam Mediolanenses, invidia perciti, ad contemtum* PALEAREM *vocarunt*. Sed Flavius Blondus Decade II. lib. III. pag. 191. operum editionis Frobenianæ Basileensis A. D. 1559. Galvaneus Flamma in Chronico majori MS. cap. 503. & Paschalius in Coronis lib. X. cap. VII. dicterio vulgari & ludicro nequaquam percepto, Modoetiensem Coronam, a ferrea diversam, ex *palea* sibi serio finxerunt. Quemadmodum vero probri hujus origo a Mediolanensi plebe manavit, ita ejus epocham, uti diximus, tempori *Coronæ ferreæ* cum Thesauro Modoetiensi recuperatæ, illigandam putamus. Aliis fabulis sæcula antiquiora spectantibus, quibus scatent Chronica MSS. Gualvanei Flammæ, & Danielis de Comitibus Angleriæ apud Puricellum pag. 177. 180. & 277. & apud Aresium post Chronologiam cœnobii Ambrosiani pag. 92. refutandis non immoror. Facile esset ostendere, omnes ad hoc Cap. VII.

Cap. VII. sub specie antiquitatis conficta, ut decora Modoetiensia *Coronæ ferreæ* labefactarent. Ideo Gualvaneus Abbati etiam cœnobii Ambrosiani tribuit jus coronandi Regis Corona ferrea: idque contra omnem sæculorum memoriam. Quid ergo mirum, si ejus ætatis Mediolanenses scriptores, plerique omnes partium studio capti, *Coronæ ferreæ*, ab se palam contemtæ antiquitatem, pretium & cultum obscurare vel silentio præterire studuerunt. Illorum enim testimoniis plerumque res agitur. At non præterit quidem certe scriptor exterus, & ab hujusmodi affectibus vacuus Matthæus Villanius, qui eandem Coronam, *sanctam* appellare non dubitavit. Sed reliquorum Cæsarum inaugurationes Corona ferrea peractas strictim recenseamus.

III. Sigismundus Imperator A. D. 1431. in die festo Sanctæ Catharinæ xxv. Novembris *Coronam ferream* Mediolani suscepit in templo Sancti Ambrosii ab Archiepiscopo Bartholomæo Capra. Vide Odoricum Rayoaldum A. D. 1431. §. 31. Sigismundi post Albertum II. in Imperio successor Fridericus III. A. D. 1452. ob luem apud Insubres grassantem, & Sfortiadum sibi invisam dominationem, Romæ a Nicolao V. Summo Pontifice in Regem Langobardorum coronari maluit, teste Augustino Patricio in Cæremoniali Romano lib. I. sect. v. cap. III. & ipsomet Nicolao Pontifice in Constitutione hac de re edita apud Rayoaldum eodem anno §. 2. Quandoquidem huc devenimus, dissimolare non licet Balthassarem Fidelem, in Archipresbyterio Modoetiensi Bertolæ de Abdua suffectum quo tempore in Insubribus Cæsariani, Galli, Hispani, & Sfortiades acriter inter se præliabantur. Hic enim Fidelis sanctitati *Coronæ ferreæ* adversari existimatur propterea quod in libro de *Prærogativa Beati Jo. Baptistæ*, quem Leoni X. nuncupatum vulgavit Mediolani apud Alexandrum Minutianum A. D. 1514. in folio, non ait, Clavum Dominicum in Corona fer-

ferrea delitescere. Quid inde, Critice? Numquid Fidelis Coronam ipsam *ferrea* cognomento non insignivit? Anne *freni* appellatio obest Mediolanensi Clavo Dominico? Sed inquies: Vigilius Pontifex in Jurejurando superius allato *Frenum*, quod CPoli servabatur, *sanctum* appellavit. Ita est. Et Matthæus Villanius *sanctam* quoque appellavit *Coronam ferream* Modoetiæ servatam. Ad hæc Fidelis vix unquam fortasse Modoetiæ substitit. Primo enim Novariæ pro Ascanio Cardinali Sfortia egit Vicarium generalem. Mox a Gallis vexatus, Viennæ Allobrogum, deinde Lugduni exsulavit. Novariæ postea restitutus a Friderico Cardinali Sanseverinate, sua hæc ipsemet infortunia exposuit in epistola ad Leonem X. *per frequentes forensium disceptationum audientias multa ac gravia exsiliorum incommoda* subiisse conquestus. Tandem in gratiam Jo. Baptistæ Castani decimum tertium ætatis suæ annum agentis, etiam Sacerdotio Modoetiensi se omnino abdicavit, ipse in generalem Vicarium Ecclesiæ Cremonensis electus, ubi in templo majore sepultus est. Hoc igitur infausto tempore quum tot tantisque turbis & direptionibus Insubres concuterentur, & Corona ferrea de more cum reliquo Thesauro alte defossa lateret, ut latuit etiam A.D. 1635. 1655. 1657. 1658. quo militari prædæ subduceretur, quid exspectari poterat ab homine, ut de se ait, *forensium disceptationum audientiis* implicito, & fere semper vago & exsule? qui præterea se rerum Basilicæ Modoetiensis tam ignarum & incuriosum ostendit, ut nec cetera ejusdem Basilicæ insignia lipsana, quanvis in ore famæ versantia, præter unum dentem Sancti Jo. Baptistæ in fine Prærogativæ xxvii. hisce verbis memoraverit: *dentem, aureo, lapillisque quamplurimis ornato, vase, Imperialis Modoetia tenet*? In Prærogativa tamen xxix. & ultima *Coronam ferream* cum ceteris lipsanis ad Theodelindam per Gregorium Pontificem missis complexus est, ubi agens de consecratione Modoetiensis Basilicæ ita

CAP. VII.

 ita loquitur: *hanc autem dedicationis celebritatem Gregorius Pontifex plurimum dignatus est, qui Johannem Diaconum miserat ad Reginam cum* RELIQUIIS *& aliis sanctis*. Cum hisce *Reliquiis* venit *Corona ferrea*. Unum adhuc addere præstat. Sixtus V. Pontifex die XXVIII. Septembris A.D. 1585. Collegio insigni Basilicæ Modoetiensis ornamenta pontificalia antiquitus usurpata postliminio restituit, diplomate hisce verbis inscripto. *Dilectis filiis Archipresbytero & Capitulo Ecclesiæ Sancti Jo. Baptistæ ac Universitati & hominibus Opidi Modoetiæ Mediolanensis diœcesis*. In hoc diplomate Sixtus sacris Reliquiis Basilicæ generatim expressis, Coronæ ferreæ thesaurum speciatim adjunxit, eundemque, utpote rem singularem, ob ejus præstantiam ab ceteris reliquiis separatim distinxit. Modoetiensem Basilicam vocat, *a claræ memoriæ Theadelinda Langobardorum Regina ad laudem omnipotentis Dei fundatam & dotatam: atque decentissime ornatam, ac successive tam a Magno Gregorio Papa I. quam ab aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, multis Sanctorum* RELIQUIIS, *gratiis, & privilegiis,* ETIAM *Corona ferrea, qua Romanorum Imperatores coronantur, decoratam*. Basilica ergo, quæ est domus Dei & sanctorum, *decoratur* Corona ferrea. Quomodo autem ea *decoratur*, nisi tanquam re sacra, & ex Domini clavo constructa? Itaque Modoetiensibus favet Sixtinum diploma, tantum abest, ut contra illos etiam obtorto collo trahi possit: quanquam in eo Pontifex de celebritate, sacris prærogativis, & privilegiis verius, quam de lipsanis Basilicæ Modoetiensis dedita opera & speciatim loquatur. Jam vero ad Caroli V. Augusti coronationem propius accedamus.

CA-

CAPUT VIII.

Carolus V. Augustus Bononiæ Corona ferrea insignitur, a Canonicis, aliisque Modoetiensibus magna cum religione illuc perlata. Blasii Cæsenatis & Paulli Jovii errores in ea describenda. Argumenti negativi male usurpati levitas & abusus. Corona post Caroli V. inaugurationem in theca cruce signata reponitur.



Blasius Cæsenas a sacris cæremoniis Clementis VII. Summi Pontificis in suis Diariis MSS, ubi agit de ritu, quo Carolus V. Bononiæ ab eodem Pontifice suscepit vetustissimam & celeberrimam Coronam ferream, ait, inter Cardinales & Cæsareos ministros consultum de imponenda eadem Corona vertici Caroli-no; quod biduo antequam tertiam acciperet, factum est die XXII. Februarii A.D. 1530. quo Cathedræ Sancti Petri memoria recolitur. Id patet ex literis Pontificiis & ex Diariis apud Raynaldum eodem anno §. 8. & 12. Corona ferrea per Canonicos & Cives nobiles Modoetienses ritu solemni Bononiam in theca cruce signata perducta est: & primo super altari posita, unde per Clericum Apostolicæ Cameræ sumta, perque Cardinalem Pontifici tradita est: qui eam imposuit capiti novi Regis in genua procumbentis, quomodo etiam in genua procumbit in historia ejusdem coronationis, quæ, olim picta, conspicitur in Basilica Modoetiensi supra locum tumuli Theodelindæ Reginæ. A Blasio Cæsenate apud Raynaldum §. 12. Corona ferrea *ex auro & argento, ac multis margaritis ornata* appellatur. Ad hæc, *circularis & latitudine quinque digitorum, & vix Coronam unius Episcopi circuens, quæ nec capiti firmari poterat.* Addit, ex Modoetia delatam *una cum*

CAP. VIII. *cum quodam libello legi in tali coronatione consueta, quem servari voluerunt Imperiales, & Papa contentatus est.* Non semel in his lapsus est Blasius, quanquam oculatus testis. A Corona enim abest *argentum*. Præterea latitudo seu potius circuli altitudo, *trium* est, non *quinque* digitorum. Falsum insuper est, *vix* Coronæ Episcopi cingendæ sufficere, nisi pro *Corona Episcopi* totum ferme caput, ex more sui temporis rasum, intellexerit Blasius. Nomina etiam virorum principum, qui in cæremonia præiverunt, in Blasii Diariis apud Raynaldum, & in MSS. a me visis, fœde corrupta sunt; ideoque, ut puto, emendaoda ex Paullo Jovio, mox adducendo. Unum præ ceteris adnotabo. Blasius ait, *Comitem de Nanson pratulisse Coronam ferream*: quam tamen prætulit Marchio Montisferrati. At Comes de *Nansan* nullus fuit, sed Comes de *Nassau*, summus Cubicularius Imperatoris, cujus paludamenti fimbriam in cæremonia sublevabat. Hoc ex Prudentio Sandovalio in Vita Caroli V. lib. XVIII. §. VI.

II. Jovius ergo lib. XXVII. Historiarum pag. 55. editionis Vascosani rem ita describit: *præsto igitur affuere Modoetiensium Legati*, *cujus* (legationis, ut puto) *erant principes Polydorus Vectius & Paullus Velanius, qui ad retinendam* VETERIS PRÆROGATIVÆ *dignitatem*, VETUSTISSIMI *operis Coronam & Annalium codices antiquitate prænobiles detulere: Ea erat sine florentibus pinnis in simplicem & latum orbem circumducta, ferro intrarsus tempora præcingente, sed exsterius auro & gemmis exornata. Biduo itaque antequam tertiam Coronam acciperet, in sacello domestico, astante Pontifice, sacris peractis, Cæsar ungitur*, FERREAque *Corona & ceteris regiis insignibus decoratur iisdem fere cæremoniis, quas paulo infra memorabimus. Prætulere ante Cæsarem summi honoris caussa Alvarus Osorius Marchio Astoricensis aureum sceptrum, Didacus Pacecus Dux Ascalonius ensem gemmata vagina conditum, Alexander Medices Dux Pinnen-*

nensis, Cæsaris gener, orbem aureum cum præfixa Cruce, gemmis distinctum, Bonifacius autem Marchio Montisferrati Modoetiensium Coronam. His demum confectis advenit dies majoris aureæ Coronæ pompæ destinatus. Hæc ideo recitavi, quia Jovii testimonium adducitur contra religionem, quæ Dominico Clavo, Coronæ intexto alias debetur; propterea quod ipse restis æqualis, nullam Clavi mentionem fecerit. Quid autem, si ego, de Jovii auctoritate postea dicturus, nunc Jovium de hac cæremonia loquentem paucis verbis non semel alucinatum ostendero? Leve est *Vectium* & *Velanium* appellari, qui *Vecchius* & *Velatus* dici debuissent. Sed grave est, duos tantum homines laicos Modoetiensis legationis principes numerari, præteritis sacrorum ministris & sacerdotibus *Petro de Arsago* & *Jo. de Marliano*, Canonicis Basilicæ Modoetiensis, utique primo loco recensendis, nec certe ullo pacto prætereundis: qui Templi insignisque Collegii sui nomine Coronam ferream Carolo V. Imperatori detulerunt. Immo etiamnum autographæ supersunt tabulæ, conscriptæ ab Andrea Toscano Modoetiensi Actuario die xiii. Februarii A. D. 1530. antequam Corona ferrea Bononiam deferretur, in quibus Balthassari Fideli Modoetiensi Archipresbytero & Episcopatus Cremonensis Vicario mandatur, ut secundum jus antiquissimum Modoetiensis Archipresbyteri ipsemet coronet Carolum V. aut vices suas alteri committat: quas puto commissas fuisse Cardinali Dertusensi Wilhelmo Enckenvoortio; nam Pompejus Vizanius in Historia Bononiensi lib.x. pag. 549. narrat, hunc Cardinalem, tanquam a Modoetiensibus deputatum, vertici Carolino Coronam ferream imposuisse. Hoc tamen infectum fuit, quia Summus Pontifex eo munere fungi voluit: & Cardinalis Dertusensis, alias Sanctorum Jo. & Paulli, Missam dumtaxat celebravit & Carolum inunxit apud Raynaldum A. D. 1530. §. 8. At præter laicos unum & alterum, ab Jovio nominatos, Cap. VIII.

 ex

CAP. VIII. ex Legatis fuere *Ludovicus* & *Bartholomæus Cisnusculi*, *Jo. Baptista Vecchius*, & *Ambrosius Maria Herba*. Hæc ex tabulis Modoetiensibus & Adversariis MSS. Josephi Cisnusculi. Quid vero hac in re opus erat Canonicis? Quid Sacerdotibus? Si non sacra, sed profana erat *Corona ferrea*, ceteri homines laici, legatione illa functi fuissent egregie defuncti absque Canonicis & Sacerdotibus: quos Jovius omnino reticuit, & ex ceteris opidanis, nobilibus viris, quatuor prætermisit. At Canonici fuerunt totius legationis duces & principes, ut sancta rite tractari possent. Ad hæc Jovius tradit, Ducem Ascalonium *ensem gemmata vagina* CONDITUM prætulisse, qui tamen fuit *nudus*, teste Blasio Cæsenate, ut in ejusmodi solemniis alias fieri consuevit: atque ita etiam spectatur in pictura Modoetiæ jam memorata. Denique lapsus est Jovius ubi ait, Coronam in LATUM *orbem circumductam ferro introrsus* TEMPORA *præcingere*: nec enim orbis est *latus*, sed ita angustus, ut summo tantum vertici imponatur. Nec *ferrum introrsus tempora*, sed solum capitis verticem *præcingere* potest, secundum illud Ambrosii: *in vertice Corona*. Hoc uno exemplo palam fieri puto quam levia & nugatoria plerumque sint argumenta ab silentio vel negligentia scriptorum etiam æqualium deducta, quibus audacia Criticorum sacram antiquitatem, populorum consensione firmatam, radicitus evertere non raro se posse confidit. Cur ergo manca & parum fida Jovii narratio, apertæ falsitatis vel negligentiæ suspecta, ne dicam a nobis convicta, jam trahitur in contemtum & dedecus Coronæ ferreæ?

III. Sed adhuc ingerunt Critici illi, qui Mediolani in Coronam ferream scripserunt, non Marchionem Montisferrati, sed potius Episcopum aliquem præferre debuisse Coronam, Domini Clavo constantem, quum Sanctus Carolus caveat in Concilio provinciali IV. ne Reliquiæ per *homines laicos tractentur*, *nec vero tangantur*. Hoc tamen nullo nego-

cio

cio diluitur. Etenim Marchio, annuente Pontifice, qui ibi adsrat, Reliquias *tractare & tangere* potuit. Verum nec *tractavit*, nec *tetigit* Clavum Coronæ Modoetiensis, sed ipsam duntaxat exteriorem Coronam: neque Canones Sancti Caroli, tunc nondum nati, Aulæ Cæsareæ summatibus innotuerant, ut illis parere debuissent. Modoetiensibus tamen optime innotuit qua religione Corona tractanda erat: ideoque per duos insignis Basilicæ Collegiique sui Canonicos ad Carolum Augustum perferendam curarunt. Ad hæc Modoetiensis Corona dupliciter considerari debet, ut Corona regia, utque Clavi Dominici laminam continens. Ut Corona, præferri potuit & debuit ab uno ex summatibus Aulæ Cæsareæ. Quum enim singula regia insignia in Regis inauguratione a singulis summatibus, non ab Episcopis, præferri consueverint, ut etiam moris fuit in prima coronatione Aquisgranensi, ideo Marchio Montisferrati prætulit Coronam Modoetiensem: quod nullo pacto dedecuit, quamvis Domini Clavo constaret, quum Marchio debita religione & obsequio eandem prætulerit: quam mox ab ejusdem manibus acceptam, sacri ministri in altari Pontificio deposuerunt. Henricus Auceps Rex Germanorum, & ejus filius Otto Magnus Domini lanceam (vel Sancti Mauritii) ab Rodulpho Burgundionum Rege habitam, in bello sæpe religionis caussa tractarunt, ex Liutprando lib. iv. cap. xii. Cur vero etiam Coronam ferream vir princeps honoris & religionis caussa tractare non potuit, si Helena Imperatrix, si Constantinus, si faber ferrarius clavos Dominicos in frenum & laminam vertendos, debita religione tractarunt? Multo magis cavetur, ne ullus præter sacros ministros pyxidem tractet sanctissimæ Eucharistiæ, & tamen Clara, Sarracenis Assisium obsidentibus, illam tractavit: sed religionis & fidei caussa tractavit. Nunquid fortissimæ Virginis egregium facinus, ab Ecclesia probarum, in judicium vocabimus? Denique nobiscum est Caspar Bu-

CAP. VIII. gatus in Historia universali Venetiis edita apud Gabrielem Jolitum A.D. 1571. lib. vi. pag. 809. ubi Bononiensem pompam enarrans, ait, Coronam ferream *in templo Sancti Jo. Baptistæ* servari solitam, & quidem cum multis reliquiis Sanctorum, *a* Gregorio Magno donatis, uti scripserat lib. II. pag. 145. His Bugatus Coronæ ferreæ sanctitatem demonstrat. Infra adhuc disertius & locupletius eam demonstrabit.

IV. Hic vero locus a nobis postulat, ut de *negativo* argumento, quod vocant, raptim nonnulla observemus, quandoquidem hoc uno morosi Critici nobis aures obtundunt, & Coronæ ferreæ vetustatem & sanctitatem elevare conantur. Argumentum *negativum* recte, prudenter, & apposite adhibitum, sæpenumero plurimum conducere ad eludenda impostorum commenta, negari non potest, nec debet. Maxime tamen cavendum est, ne hac ratione argumentandi, ea, quæ firma & inconcussa veritate muniuntur, furioso & cœco impetu condemnemus. Ad hunc scopulum declinandum animadvertere præstat, duplex argumenti negativi genus distingui posse. Quædam enim sunt pure negantia, alia insuper quid positivum habentia. Primi exemplum est: *nemo ante Martinum Polonum, sæculi* XIII. *scriptorem, meminit Johannæ Papissæ, quæ sæculo* IX. *vixerit. Ergo hæc fabula emersit ævo Martini Poloni*. Argumenti *negativi* cum *positivo* mixti exemplum itidem proferamus: *nemo ante Martinum Polonum meminit Johannæ Papissæ, omnesque auctores æquales, suppares, & posteriores usque ad Martinum Polonum, statim post Leonem IV. statuunt Benedictum III. non vero Johannam. Ergo hoc monstrum antiquius non est Martino Polono*: cui tamen non esse adjudicandum disertissimis argumentis ostendit vir pius & eruditus Jacobus Echardus in Summa S. Thomæ vindicata pag. 567. & 620. Quid *negativi*, quid *positivi* huic argumento insit, nemo non videt. Facilius vero est, ex illo priori argumentandi genere

nere in turpes paralogismos labi, quam ex secundo. Etenim Cap. VIII. ne argumento mere *negativo* fallamur ipsi, aliosque fallamus, tria servanda sunt.

1. Omnes ad unum auctores, ex quorum silentio argumentum erui debet, a nobis fuisse perlectos.

2. Nos certos esse, nullum omnino ex auctoribus, qui rem, de qua disputatur, pertractaverint, intercisse, aut nobis non visum adhuc in veterum bibliothecarum forulis delitescere.

3. Ab his, qui supersint auctoribus, quique dedita opera, non tralaticie, de re scripserint, negligentiæ, invidiæ, & studii partium suspicionem abesse, in iis, quæ evenerunt, referendis aut silentio prætereundis.

V. Has rectæ & sanæ critices regulas docuit Mabillonius in aureo libro de Studiis monasticis Parte II. cap. XIII. Consuli etiam potest Jo. Baptistæ Thiersii Exercitatio de auctoritate negantis argumenti contra Jo. Launojum, cujus censones tironibus facile imponunt. Ad has autem regulas si ea reducantur, quæ hucusque disseruimus, facile perspiciemus, nihil omnino a Collegio Ambrosiano Doctore & Critico in Coronam ferream prolatum, quod ejus vetustatem & religionem possit labefactare. Etenim præterquamquod argumentis mere negantibus ubique pugnatum est, quibus nulla ex regulis jam adductis messe dignoscitur; contra, argumentis *positivis* facillime rejiciuntur. Hisce regulis illico animadvertimus quam felici Minerva Criticus idem vulgaverit, quatuor anni tempora ecclesiastica cum jejuniis solemnibus, recentissime in parœciam Mediolanensem irrepsisse, & quidem auctore Sancto Carolo, propterea quod Criticus Ambrosianus in Missalibus libris editis & MSS. ab se visis nulla eorundem anni temporum & jejuniorum ante Carolum documenta repererit. Scilicet is, domi suæ quodammodo hospes, nunquam vidit Missale Ambrosianum, Mediolani impressum per Christopho-

rum

 rum Ratisponensem A. D. 1482. ubi mense Septembri ad diem festum Exaltationis Sanctæ Crucis eadem sacra anni tempora indicuntur his verbis: *primus dies Mercurii post festum Sanctæ Crucis.* SEMPER *fiunt Tempora.* Non vidit Breviarium Ambrosianum ibidem excusum A. D. 1487. ubi post Decembrem hæc adnotantur: *isti sunt dies & vigiliæ jejunanda* EX PRÆCEPTO *Sanctæ Matris Ecclesiæ. Quatuor tempora anni, scilicet vernale, æstivale, autumnale, hiemale.* Denique non consuluit Breviarium Ambrosianum per Antonium Zarotum publica luce donatum A. D. 1490. quod Septembri mense hæc exhibet: *prima die Mercurii post festum Exaltationis sunt* TEMPORA. Argumenti mere negantis vitia & fallaciæ hominem turpiter labi coegerunt. Ad Jovium redeo.

VI. Si Jovius ceterique auctores laminam ferream Coronæ aureæ intrinsus circumductam, Clavum Dominicum esse nequaquam dixerunt, nec etiam quidpiam aliud esse certo dixerunt, aut alia ex caussa sic fuisse compactam. Quomodo vero alia ex caussa, quam sacratissima compingi potuit? Exigua est lamina ferrea, & ratione metalli, nullo vel minimo pretio habenda, quum tres uncias ponderis non excedat. Huc refer quæ de Clavi Dominici cuspide a me dicta sunt cap. 1. §. VII. Nihilominus Corona ex auro purissimo, & gemmæ etiam multæ & magnæ, nempe XXII. ovatæ, planæ, & varii coloris, hæque maximi precii banc eandem laminam ferream interius clausam ab vetustissimis temporibus locupletarunt, ita quidem, ut manifeste pateat, aurum & gemmas laminæ ferreæ, non laminam ferream auro & gemmis ullo pacto inservire. Nisi enim aurum & gemmæ ipsi ferro inservirent, Corona aurea, ut vertici Regum commodius aptari posset, angustum ipsius laminæ ferreæ orbem utique excederet: quem tantum æquat. Præterea nobilius metallum ei nomen daret, quod tamen dat vilius, nempe fer-

ferrum, adeo ut ab remotissimis usque annis, non *auream*, Cap. VIII.
sed *ferream* dici compertum sit. Ergo ferrum pretiosius auro.
Ex his nemo jure negabit, quin eidem vili & exiguæ laminæ
aliquid admirandi præter simplicem ferri materiam ab anti-
quissimis sæculis retroactis inesse creditum fuerit. Id vero
est, fuisse unum ex clavis, qui Domini membra crucifixerunt.
Tribus porro Coronis Augustos post translationem digni-
tatis Imperii seu Advocatiæ Apostolicæ Sedis a Francis ad
Germanos, coronari consuevisse manifestum est; nempe,
Germanica, Italica, & Romana. Has duas posteriores,
argenteam & *auream* ideo dixeruot, ut a *ferrea* illa anti-
quiori discriminarent. Nam quæ *aurea* dicitur, semper fuit
aurea, quæque *argentea* dicitur, semper quoque fuit *aurea*,
non *argentea*, neque ullo circulo *argenteo* distincta, uti circu-
lo tantum *ferreo* distinguitur Modoetiensis: quæ etiam una, a
duabus reliquis Coronis aureis Modoetiensibus io subsequen-
ti capite memorandis, religione & antiquitate non minus,
quam ferreo illo circulo interiori distinguitur: itaque non
extrinsecus, sed intrinsecus circumducitur, ita ut ab auro &
gemmis extrinsecus circumductis, religionis & honoris caussa
idem circulus ferreus ornari videatur: alioqui non intus, sed
foris extenderetur. Nisi vero laminæ ferreæ origo ex Domini
clavo manasset, ita ampla esset, ut frontem commodius cin-
geret: quæ tamen, ut dixi, vertici solum imponitur. His adde,
nullam omnino ex iisdem tribus Coronis Imperatoriis, cete-
risque universis, præter hanc unam ferream Modoetiensem,
a sacris ministris in sanctioribus Basilicarum sacrariis & Lipsa-
notheciis perpetuo servatam, & populorum cultui & obsequio
expositam: nullam denique elogio *sanctitatis* ornatam præ-
ter hanc unam, quemadmodum ex Villanio observavimus.
Ergo hæc una aliquid sancti & augusti in se continere semper
credita est. Hoc loco taceri non debet, peracta Caroli V.
inauguratione Coronam ferream istheca, serico purpureo vil-
loso

Cap. IX. Joso interius tecta, rursus inclusam fuisse, in cujus exteriori operculo scorteo adhue visitur *Crux* impressa. Quorsum hoc? Annon aptior fuisset imago S. Jo. Baptistæ, Modoetiensium patroni, sive aliud insigne, puta Caroli V.? Sed Clavo Crucis intus latenti designando exterior Crucis effigies, alias consuetum rei sanctæ argumentum, aptissima fuit. Jam ad alia procedamus.

CAPUT IX.

Coronæ aureæ Modoetienses a ferrea diversæ cur institutæ. Varia de hujusmodi Coronis prolata, quibus amplius ferreæ præstantia & religio illustrantur. Quid fuerint Imperialia insignia.



IN gazophylacio Basilicæ Modoetiensis, a Lipsanotheca distincto, duæ *Coronæ aureæ* servantur, a *ferrea* tamen diversæ. Harum una est Agilulfi Regis, Theodelindæ altera, quæ duplo minor est, judice, qui eas vidit, Mabillonio in Itinere Italico pag. 212. Primam, pondo unciarum XXI. denariorum IX. quæ ex auro purissimo est, & sine ullis radiis aut liliis, pyropi & smaragdi LXV. circum exornant cum figuris Apostolorum & hoc lemmate. AGILVLF. GRAT. DI. VIR. GLOR. REX. TOTIVS. ITAL. OFFERT. SCO. IOHANNI. BAPTISTÆ IN. ECCL. MODICIA. Ennodius primus occurit, qui initio sæculi sexti lib. VI. epist. X. *Moditiam* vocavit quæ *Modoetia* dicitur. Ex hac Agilulfi Corona pendet crux aurea pondo unciarum XXIV. denariorum XIV. quæ gemmis & margaritis preciosis ditatur. Secunda Corona sine ullis radiis aut liliis, pariter aurea, plurimis smaragdis fulget, estque pondo unciarum XIV. denariorum XIX. Ex hac etiam pendet crux aurea pondo unciarum XV. denariorum VII. utrinque gem-

gemmis plurimis locuples. Ego Modoetiensium fortunam suspicio, qui tandiu in aperto bellorum theatro pretiosissima hæc cimelia servare potuerint. Hoc aliis terrarum Basilicis certe non contigit. Coronæ regiæ, etiam votivæ, denotant Reges & eorum coronationes: quare ex hac Agilulfi amplius docemur, hunc Regem præter *contum* sive *hastam*, Corona etiam donatum, dum *congregatis in unum Langobardis, postea mense Majo ab omnibus in Regnum* LEVATUS *est apud Mediolanum*, teste Paullo Diacono lib. III. cap. XXXVI. in fine. Hæc refer ad ea, quæ dixi capite III. Utranque hanc Coronam memorat Zucchius in Historia Theodelindæ cap. XL. Neutra intus servat laminam ferream. Utraque locupletior, major & pulchrior est, quam ferrea sive pondus, sive pretium, & artificium spectetur. Et tamen Reges Italicos & Germanorum Augustos nulla ex his duabus Coronis unquam, sed semper una illa ferrea insignitos fuisse cognovimus. Cur vero, nisi propterea quod huic inesset quod illis nequaquam inerat, nempe Dominicus Clavus in laminam versus? Duæ Coronæ jam dictæ, donaria sunt, temporibus antiquissimis de more veterum Christianorum, eidem Basilicæ oblata. De his aliqua dicere præstat, quæ nostrum de Corona ferrea argumentum illustrent, præcipue quum de iisdem Coronis pro sua modestia aliorum sententiam scire optaverit Cosmus de Arena in Serie Marchionum Tusciæ pag. 56. & Julius Cæsar Bulengerus lib. II. de Donariis Pontificum rem ne levissime quidem attigerit, de hujusmodi Coronis tractans cap. XVII. Cap. IX.

II. Apud vulgatum Anastasium in Vitis Pontificum *Coronæ aureæ* sæpenumero memorantur, quæ a principibus viris & optimatibus, supra sacram mensam in Basilicis suspendendæ, olim offerebantur, ut de more suo egregie admonet Cangius in notis ad Paullum Silentiarium pag. 555. In Silvestro pag. 17. habemus, Constantinum CORONAS *quatuor cum delphinis* XX. *ex auro purissimo* in Basilica Lateranensi

Cap. IX. posuisse, & pag. 20. CORONAM *auream ante corpus Beati Petri* obtulisse. In Hilaro pag. 39. CORONA *aurea ante Confessionem* Sancti Johannis ab eodem facta memoratur. In Sergio I. pag. 86. legitur, hunc Pontificem CORONAS, *quæ ante sacrum altare & Confessionem Beati Petri Apostoli ex antiquo pendebant*, deponi fecisse. Leo III. pag. 184. obtulit CORONAM *auream cum gemmis majoribus, quæ pendet super altare*. Leo IV. pag. 285. CORONAS *ex auro mundissimo, inclytis Christi videlicet & Sanctorum vultibus refulgentes fieri* præcepit. Idem alibi centies occurrit. Apud Mabillonium in Actis Sanctorum Ordinis Sancti Benedicti sæculo IV. parte I. pag. 212. in Vita Sancti Conwojonis Abbatis hæc leguntur circa A.D. 860. *eodem tempore transmisit Naminoe Princeps* (Britanniæ) CORONAM *auream cum gemmis pretiosissimis donum Beato Petro Apostolo per venerabilem Conwojon*. Leo Cardinalis Ostiensis in Chronico Casinensi lib. I. cap. XXVI. narrat, Siconulfum Capuanorum Principem Casinensis Cœnobii Thesaurum abstulisse, in quo præter calices, patenas & Cruces, etiam *Coronæ* recensentur. Angelus a Nuce in notis pag. 157. & 364. animadvertit, easdam per catenulas laquearibus Ecclesiarum affixas, e quibus interdum lampades, *Phari* appellatæ, pendebant. Vide Cangium v. *Corona* & *Pharus*. Hæ tamen Coronæ, e quibus lampades seu Phari pendebant, cum nostris non sunt confundendæ, ut confudit Jo. Severanus in Commentario de septem Urbis Ecclesiis pag. 309. 350. 366. 392. & alibi semper. De iis vide Cangium in CPoli Christiana lib. III. cap. XLVIII. pag. 39. De his nostris Anastasius in Leone IV. pag. 285. *fecit* CORONAS *ex argento purissimo, miro compositas opere, duas*, PENDENTES *in catenulis argenteis cum gemmis & bullis deauratis*. Etiam CORONÆ *ex auro mundissimo* superius adductæ, quas idem Leo IV. *fieri* præcepit, PENDENTES *cum catenulis, aureis bullis* dicuntur ab Anastasio. Flora-

van-

vantes Martinellus in Trophæo Crucis ex his Coronis cum Cap. IX. catenulis unam expressit pag. 64. Appendebantur plerumque ad Ciboria, unde supra sacram mensam illas pependisse, toties legimus. Anastasius in Leone IV. pag. 274. *fecit in Ecclesia Beati Andreæ Apostoli Ciborium super altare, necnon & calicem de argento cum* CORONIS *pendentibus in eodem Ciborio numero* XII. Infra pag. 275. *super Ciborium* (Sancti Petri) *obtulit* CORONAS *quatuor*. Et mox: *Ciborium fecit, calicesque &* CORONAS *numero* XLVI. Hariulfus in Chronico Centulensi lib. III. pag. 480. tomo IV. Spicilegii Dacheriani: *super illa tria altaria habentur tria Ciboria ex argento & auro parata, in quibus tres descendunt* CORONÆ, *singulæ per singula, auro gemmisque paratæ cum aureis cruciculis*. Hæ *cruces* statim recurrent. Majorum nostrorum religionem & magnificentiam erga ædium sacrarum ornatum & cultum satis mirari non possum.

III. *Coronas* altari imminentes *Regna* etiam non semel vocat Anastasius. Narrat in Leone III. pag. 193. hunc Pontificem in Basilica Sancti Andreæ fecisse REGNUM *ex auro purissimo*. In Gregorio IV. pag. 235. REGNUM *aureum unum, quod usque hodie dependet cum gemmis valde optimis, habens in medio auream* CRUCEM *cum gemmis pariter pretiosis*. In Leone IV. pag. 281. *fecit in Ecclesia Sancti Clementis Martyris atque Pontificis* REGNUM, *quod pendet super altare majus, ex auro purissimo, sculptile, sine gemmis, habens in medio* CRUCEM *de auro cum gemmis fixis in eadem* CRUCE. Pag. 283. *fecit in Ecclesia Sanctorum quatuor Coronatorum* REGNUM *ex auro purissimo unum pendens super altare majus cum catenulis similiter aureis, habens in medio* CRUCEM *auream habentem gemmas* XIV. Idem auctor ait pag. 254. Sergium II. obtulisse in Ecclesia Sanctorum Silvestri & Martini REGNUM *aureum valde pretiosissimum cum gemmis prasinis, hiacynthinis & albis: quod nunc usque super altare*

Cap. IX. *cernitur pendens, habens in medio* CRUCEM *de auro purissimo cum gemmis similiter pretiosis.* Atto Canossæ Dominus in arcis suæ Basilica obtulit hujusmodi Regna seu Coronas apud Donnizonem lib. 1. cap. 18.

Ornamenta bona, rutilantesque CORONAS
Ex auro claro, simul argentoque probato
Obtulit: hæ vero numero sunt bis duodenæ.

In Relatione ejusdem Canusini Thesauri, ad Gregorium VII. Pontificem missi, hæc prostant apud Leibnitium tom. 2. scriptorum Brunsvicensium pag. 688. XXIV. *Coronæ erant, & una illarum aurea cum cruciculia una, itidem aurea.* Modoetiensibus Coronis aureis adhuc catenulæ adhærent cum Cruce aurea unicuique intermedia. Circa *Regnum* seu *Coronam* Agilulfi cernuntur effìcti XII. Apostoli, teste Zucchio. Accedit alia Crux *aurea*, quæ *Regnum* appellatur. Modoetiensi Coronæ Agilulfi omnino similem in abside suæ Nolanæ Basilicæ pependisse, nos docet Paulinus in epist. XXXII. alias XII. ad Severum.

Crucem CORONA *lucido cingit globo,*
Cujus CORONÆ *sunt corona Apostoli.*

Anastasius in Hormisda pag. 84. testatur a Clodoveo Magno Rege Francorum in Basilicam Vaticanam venisse REGNUM *cum gemmis pretiosis, donum Beato Petro Apostolo.* Hujus regii muneris genuinam notionem adsecuti non sunt viri cetera eximii Antonius Dadinus Alteserra lib. III. de Ducibus & Comitibus cap. 11. pag. 210. & Cointius A. D. 508. §. LXXII. quorum ille *Regnum* pro Corona Patriciatus accepit, hic autem non pro Corona pensili supra altare, nec pro donario ad Confessionem Beati Petri affigendo; sed pro *regia Corona*, Pontificis capiti imponenda. Vereor, ne Cointio imposuerit Franciscus Junius senior, ab eo sub *recentiorum* nomine fortasse indicatus. Junius enim in Animadversionibus ad tres libros Bellarminianos de Translatione Imperii pag. 183. eundem fœdissimum errorem erravit, & propterea va-

vapulat ab Nicolao Alemanno in Dissertatione de Lateranensibus Parietinis pag. 128. Rectius Hadrianus Valesius tomo I. Rerum Francicarum lib. vi. pag. 270. scribit, *Clodoveum hortatu Remigii Legatos Romam misisse, qui Coronam ex auro & gemmis, donum eximium in Basilica Petri pensitandam, Principisque Apostolorum dicandam & consecrandam curarent.* Ita Hincmarus in Vita Sancti Remigii apud Duchesnium tomo I. pag. 530. rem planam facit, ubi adnotat, Clodoveum *Coronam auream cum gemmis, quæ* REGNUM *appellari solet, Beato Petro, Sancto Remigio suggerente, direxisse.* Eædem *Corona* seu *Regna* etiam *spanoclista* dictæ fuerunt, nempe superius clausæ ex Græco σπανόκλειστος. Anastasius in Leone III. pag. 194. *fecit autem ibi super Crucem majorem ex auro fulvo nimis spanoclistam ornatam gemmis pretiosis.* Et infra pag. 196. *Regnum spanoclistum ex auro purissimo cum Cruce in medio, pendens super ipsum altare.* Vide Cangium in Glossario. Ex his colligo, simplices ejusmodi *Coronas* superne fuisse vacuas, *Regna* vero interdum clausa, & *spanoclista* ideo dicta. His adde quæ erudite digessit V. C. Philippus Bonarota in præclaro opere Observationum ad sacra Vitra pag. 134. Cap. IX.

IV. Utrique aureæ Coronæ Modoetiensi catenulæ, ut dixi, etiamnum adhærent: quod manifeste prodit, easdem sacris donariis adnumerandas. Quum vero *Corona ferrea*, universorum sanæ mentis hominum judicio antiquissima, catenulis prorsus destituatur, & quominus semper destituta fuerit, dubitari nequeat, hinc palam fit, illam nunquam fuisse pendulum & ociosum donarium, Basilicæ laquearibus inserendum, sed veram Coronam, ad hunc unum finem ab initio & primitus fabrefactam, ut Regum vertici imponeretur. Hoc nonnisi maxima de caussa institui potuit sive Coronam ipsam extrinsecus, sive intrinsecus præsenti animo perpendamus. Caussam ipsam lamina ferrea satis, ut puto, superque declarat:

ne-

CAP. IX. neque enim ad hoc comparati sumus, ut cum Baldo J. C. ad mysticas metallorum significationes solertissime interpretandas confugiamus: quod ipse in opusculo de Tribus coronis pro ingenio suo præstitit. Nobis tam abdita & abstrusa scrutari non licet, sed potius cum venerandæ memoriæ Cardinali Josepho Maria Thomasio, viro harum rerum scientissimo, quem totius ecclesiasticæ antiquitatis veluti oraculum sæpe suspeximus, omnino sentimus, nimirum in iis, quæ sacros Christianorum ritus respiciunt, non arcana & ingeniosa mysteria, pro cujusque arbitratu facile excogitanda, ut nonnulli vulgo factitare consueverunt; sed veras, planas, historicas, atque, ut sic dicam, naturales, & genuinas eorum caussas & originationes esse nobis investigandas. Caussa institutæ Coronæ aureæ, lamina ferrea intrinsecus circumseptæ, obvia & exploratissima est, quam pia fidelium persuasio per tot sæcula & res ipsa hucusque manifestavit.

V. Ne vero qui contra Clavum Dominicum Coronæ Modoetiensi inferrum criticen suam exercuit, illo argumento suo *negativo*, sibi maxime familiari, amplius exsultet, hactenus dictis nonnulla adhuc subjungam. Multis ab hinc sæculis Norimbergæ, veteri Germanorum conventu, exstat *Thesaurus* sic dictus sacrorum pignorum, nempe *lancea*, *clavus*, pars *Crucis Christi*, & alia: quibus accedunt pretiosæ quædam Caroli Magni exuviæ, per Imperatores in solemnibus suis inaugurationibus olim usurpari solitæ. Hæc sacra Passionis Dominicæ monumenta ab antiquis scriptoribus passim vocantur *Imperialis Thesaurus*, *Imperialia Insignia*, & *Insignia Imperii*. Conradus Urspergensis in Chronico A. D. 1209. pag. 313. uti diximus cap. vii. §. iv. tradit Ottonem IV. hæc eadem *Insignia Imperialia* Mediolanensium tutelæ credidisse: quæ postea A. D. 1221. abstulit Fridericus II. & Germaniæ restituit. Albertus Argentinensis in Chronico A. D. 1352. de his ait pag. 156. *Insignia*,

quæ

quæ Imperii dicuntur. Henricus Rebdorffius in Annalibus A. D. 1350. pag. 71. *Insignia Imperialia* appellat. Albertus Krantzius in Wandalia lib. x. cap. xi. *pretiosa Regni Romani Insignia*, & in Saxonia lib. iii. cap. vi. *pretiosum Imperii Thesaurum*. Immo Summus Pontifex Innocentius VI. in diplomate, quo sacra hæc instrumenta publicæ venerationi exponendi facultatem concessit apud Annalium Ecclesiasticorum continuatorem Raynaldum A. D. 1354. §. 18. *sacras*, inquit, *reliquias, quæ Imperiales* VULGARITER *nuncupantur; quæque tanquam pretiosissimus Imperii Romani Thesaurus consueverunt per Romanorum Regem seu Imperatorem, qui est pro tempore, conservari*. Adi Jacobum Gretserum, & Christianum Erdmannum, qui de hoc Normbergensi *Thesauro* peculiares tractatus ediderunt. Lanceam tamen heic memoratam, aliam ab ea esse, quæ Christi Domini latus vulneravit, quæque Romæ adservatur, Cangius vir summus ostendit in notis ad Alexiadem Annæ Comnenæ pag. 345. & 370. Itaque si *clavus*, *lancea*, & *pars Crucis*, nomine *Thesauri Imperialis*, & etiam *Imperialium Insignium* denotari potuerunt; pars modo sufficit, Clavum Dominicum Coronæ aureæ intextum, ab scriptoribus generatim *Coronæ ferreæ*, *Coronæ Modoetiensis*, & *diadematis Regum Italiæ* nominibus denotatum fuisse, dum interim non solum apud Modoetienses in sacro *Thesauro* Basilicæ religionis quidem & securitatis caussa perpetuo servatus & pro vero Domini Clavo habitus est; sed etiam apud longinquos antiquitus pro tali creditus; teste Matthæo Villanio, qui Coronæ ferreæ, quatuor ab hinc sæculis, *sanctæ* cognomentum & elogium, ut tunc passim vulgatum, adscripsit. Quid apud Catholicos vocabulum sanctitatis denotet jam dixi Cap. VII. §. 1.

CAPUT X.

Coronæ ferreæ sanctitas Bononiæ in coronatione Caroli V. Augusti palam agnita & comprobata. Ripamontii, aliorumque scriptorum Beato Carolo æqualium & proximorum, qui pro eadem sanctitate adducuntur, & Jovii etiam, auctoritas quo loco habenda.



Osephus Ripamontius, Theologus & Historicus permsignis, idemque alumnus Borromæorum Cardinalium, pietate & rerum ecclesiasticarum disciplina excellentium, inter egregias lucubrationes, quibus rem literariam illustravit, Decadem primam Historiæ Ecclesiæ Mediolanensis, ab se antea conscriptam, edidit A.D. 1617. ex typographia Collegii Ambrosiani, postquam, *gravissimis monitis*, ut ipse præfatur lib. 1. pag. 3. a magno Cardinali & Archiepiscopo Mediolanensi Friderico Borromæo Sancti Caroli consobrino *ad hujus historici negocii dignitatem & innocentiam informatus* fuisset, itaut secundum sensa tanti Antistitis historiam suam Ripamontius scripsisse dicendus sit: qui hoc etiam de se testatur: *cæterum non præfabor usitata de magnitudine operis, & fide mea, quum neque* MENDACII *suspicio attingat persequentem vetera, ubi nullum pretium adulationi*. Idem porro auctor lib. 11. pag. 136. de Passionis Dominicæ instrumentis tractans hæc scribit: *partem Crucis &* DUOS *augustissimi mysterii* CLAVOS, *invidendo terris omnibus munere, quoniam servat Ecclesia Mediolanensis* (nempe Mediolani & Modoetiæ) *idio paucis expediam, &c.* In subsequenti vero pagina: *nos quoque plus accepimus inde, quam uni deberetur urbi. Sed* CLAVORUM *præsertim excessimus munere, de tantulo numero* DUOS

nacti

nacti, non secus atque si dimidiati vicem amplius Orbis obtineremus. Sunt, *duo hi Clavi*, *Frenum* & *Corona ferrea*. De primo speciatim loquutus ita subjungit pag. 139. *quare, unde digressi sumus, illuc revertemur, dicturi suo tempore de altero Clavo, quem in* DIADEMA *diductum Moguntini* (seu Modoetienses) *municipes tuentur*. Igitur lib. VIII. pag. 512. de *Corona ferrea* Modoetiensi narrationem instituit, nec diffitetur, ad Theodelindam, communi omnium persuasione, seu fama, referri. *Coronam eam*, inquit Historicus, *Theodelinda munus, prosequitur* FAMA, *tanquam interior circulus, sit unus e Clavis, qui Christum liberatorem affixere cruci*. CAP. X.

II. Ripamontius optime noverat antiquam illam Mediolanensium in Modoetienses invidiam ob vulgatissimam *Coronæ ferreæ* prærogativam: quam proinde Coronam irreligioso scommate *palearem*, ut supra narravimus, vocare non erubuerunt. Quamobrem Ripamontius hujusmodi æmulorum ludibrium subobscure innuens, verbis jam recitatis hæc addit: *et porro fama sunt qui fidem adstruant conjecturis atque* TESTIMONIIS. *Sunt qui abrogare* NON DUBITENT, *prout nimirum suus quemque sensus pronum in talia, difficilemve facit*. Postmodum ita subjungit: *pars ea, quæ nobis favet, nititur hujusmodi conjecturis & argumentis. Helenam Constantini matrem quum tres repertos augustissimi mysterii Clavos, veluti thesauri cœlestis arbitra, dispensaret, alios alibi collocasse; tertium inseruisse diademati: diadema gestamen fuisse Constantino; inde per manus traditum, haud sine numinis favore ad Theodelindam pervenisse: cetera jam esse in promptu. Nam quorsum attinuerit, ferream Coronam initiandis Imperatoribus ab Theodelinda sanciri sacram ac solemnem, & Imperatores ipsos longa sæculorum successione Langobardorum institutum observare, nisi profecto id esset?* Sic Ripamontius, qui hasce nudas aliorum conjecturas, potius traditione, quam multis veterum scriptorum

L tunc

CAP. X. tunc testimoniis palam editis roboratas, *tam credere, quam non credere* cuilibet licere putavit. Ceterum publicæ famæ suæque persuasionis argumentum ipse mox prosequens, ita scribit: *divini certe spiritus animique pontifex Ambrosius quum Theodosium extinctum funebri laudatione cohonestaret, meminit diadematis e* CLAVO *constructi, idque grave sanctissimi viri testimonium exstat*; pro Modoetiensibus quidem: nusquam enim terrarum hoc Helenæ *diadema e* CLAVO *constructum* servari intelleximus, nisi apud ipsos; quum tamen ceteros Clavos multi se habere glorientur. Ripamontium iterum audiamus: *novissime nostra memoria quum ea Corona per Legatos allata Bononiam, Carolus V. Imperium auspicaretur, adessentque principes Ecclesiæ viri, magni sunt motus animorum facti*, CERTISSIMO *inter omnes* CONSENSU *veram esse famam, & ferrum ibi quantalibet aurea mole pretiosius latere. Legati quinetiam increpiti quod vili nimium ac paupere cultu, nec ea, qua par esset celebritate, salutis humanæ monumentum, & adactum olim per divina illa membra ferrum, attulissent.* NARRANT *hi, qui spectaculo* ADFUERE, *quum prolata ea capiti Cæsaris imponeretur, subito perfusam horrore concionem obriguisse, tanquam & manantia innoxio sanguine trophæa Crucis & Christus ipse, totaque facies acerbissimæ mortis ante oculos obversaretur: ab coronati Cæsaris adspectu ad violentos ictus, laniatumque divini corporis, meditando & cogitando, religiosissimos & gravissimos quosque animum avertisse. Licet id quoque in testimonii vim admittere, quodque tantæ frequentiæ sensus judicavere, id nequaquam esse commenticium arbitrari.* Ripamontio, viro ad stultam credulitatem haudquaquam composito, integerrimo Sacerdoti, & Archiepiscopis Mediolanensibus propterea caro, de re suis temporibus proxima ita loquenti quis temere audeat falsitatis dicam impingere, quandoquidem se ea didicisse testatur ex relatu illorum, qui rebus

ab

ab se narratis, & Carolinæ inaugurationi interfuerant? Hos vero præstat audire, quam Jovii silentio indulgere, qui minutas narrationes fastidiens, pro ingenio suo ad eloquentiam ostentandam facto rem levissime attigit, & paucis verbis, ut vidimus, plures, eosque manifestos errores inspersit. Huc facit præstantissimus Theologus Melchior Canus in Locis theologicis lib. xi. cap. vi. ubi primam legem veraces historias a fallacibus distinguendi, *ex hominum probitate, integritateque* sumi debere animadvertit: *quæ omnino res*, inquit, *locum habet, quum ea, quæ narrant Historici, ea vel ipsi se vidisse testantur, vel ab his, qui viderunt, accepisse*. Hæc & alia, quæ apud Canum legi possunt, Ripamontio egregie convenuint, non certe Jovio: quem in historica veritate male audire nemo nescit. De hoc legendus Jo. Michael Brutus in præfatione ad Historiam Florentinam, sed potissimum Hieronymus Mutius in Epistolis Catholicis lib. II. pag. 101. ne recensior Criticus amplius miretur & stupeat, Jovium de Coronæ ferreæ *sanctitate* siluisse. Cap. X.

III. Quid porro dicendum de Blasio Cæsenate, qui, muneri suo tantum indulgens, in maxima frequentia alienam admirationem neglexit, & Coronam ipsam describens, sibi a supinis erroribus nequaquam cavit? Quis autem in veterum Historicorum lectione tam hospes est, ut ignoret, non singulos ejusdem rei Historicos ad unum omnia describere, sed quæ in uno desunt, ab aliis petenda? Franciscus Guicciardinus lib. xx. Historiarum ait, Carolum V. *Imperiali corona* redimitum die festo Sancti Matthiæ: nec memorat Coronam ferream triduo ante susceptam. Fuit omnino Guicciardinus scriptor æqualis. Nunquid ejus silentium contra Modoetienses adduci debet? Sed in rei notissimæ confirmationem, aliud exemplum argumento aptum adducam. Liutprandus, vel ejus continuator, uterque Ottonis I. scriptor æqualis, lib. vi. cap. vi. ejusdem Ottonis, ab Italis invitati, in Italiam adven-

Cap. X. tum contra Berengarium II. accurate describit; nec tamen memorat ejus coronationem in Regem in Italiæ a Walperto Mediolanensi Antistite peractam. Quid inde? Ergone Otto non fuit coronatus in Regem Italiæ? Nemo rationis compos sic disputabit; sed ejus coronationis historiam a Landulpho seniore petendam esse arbitrabitur. Ad Ripamontium revertamur.

IV. Ejus verba a nobis superius descripta utique palam faciunt, ferream Coronam Bononiæ exceptam, tanquam Domini Clavo constantem, alias Legatio nec modica, nec Basilicæ Modoetiensi & municipibus, bellorum tempestate concussis, omnino impar, adhuc quasi infra tantæ rei dignitatem instructa, male non audisset, utpote aliquibus visa, *vili nimium & paupere cultu, nec ea, qua par erat celebritate, salutis humanæ monumentum* ad Carolum attulisse. Denique Ripamontius, nostræ sententiæ adstipulator egregius, iterum audiendus, qui rem ita concludit: *illud demum inter argumenta ego numerandum censeo, quod per bellicos tumultus, qui diu Italiam afflixere, condita Corona subterraneo in specu, servavit nitorem, & nihil contraxit ejus rubiginis, quæ sequitur ferrum, ut cœlestis gratia vicisse naturam videatur, idque sacrato* CLAVO *datum fuisse divinitus, affirmare possimus*. Rem universam postea concludens, profitetur, se publica & vulgata referre: *verum enimvero, de tota re, ut cuique libitum fuerit, opinetur. Nos* VULGATA *referre, & qua pietas animum inclinabat, ea famam dare, satis habuimus*. Ripamontius, ni fallor, his verbis significavit, se nolle cum ejusmodi superbis & contentiosis hominibus digladiari, qui res jam narratas in dubium vocare non formidarent. Vulgatam famam & suam ipse persuasionem, animique sententiam exposuisse contentus, magnum Augustinum imitari fortasse voluit. Hic in prologo librorum de Doctrina Christiana tradit ex Athanasio in Vita Antonii, hunc eundem Sanctum Abbatem, quanvis rudem literarum, sacra Biblia sibi

præ-

prælecta; memoria tenuisse: & servum quoque ex ethnico Cap. X. Christianum quum nullas unquam literas didicisset, a Deo plenam sacrorum Bibliorum scientiam impetrasse, *de quo*, inquit, *a gravissimis fideque dignissimis viris accepimus*. Deinde subjungit: *aut si hæc quisque falsa esse arbitratur, non ago pugnaciter*. Nunquid heic Augustinus *falsa esse* arbitrantibus quæ ipse pro veris narraverat, assentitur? Nihil minus. Prius enim illud de Antonio legerat in ejus Vita per Athanasium Græce scripta, & ab Evagrio Patriarcha Antiocheno pro occidentalibus latine reddita: quam Hieronymus in Catalogo cap. LXXXVIII. *volumen insigne* appellavit. Rem, de qua loquitur Hipponensis Episcopus, habes tomo I. parte II. operum Athanasii editionis novæ pag. 797. & 849. Posterius de servo *a gravissimis fideque dignissimis viris* Augustinus acceperat. Itaque verbis illis: *aut si hæc quisque falsa esse arbitratur, non ago pugnaciter*, Augustinus palam facit, se nolle de veritate cum ejusmodi incredulis hominibus contendere, qui res jamdudum receptas & probatissimas inter commenta facile adnumerant, quasi nimirum iis tantum liceat esse tam beatis, ut veritatem soli proxime & secreto alloquantur: nec fabulas & mendacia, ut reliqui homines vel potius stipites, ipsi uni ab asseverationibus vacui pronis auribus, unquam accipiant. Quomodo Augustinus & Ripamontius, ita & nos cum hoc genere hominum, de se gloriose, de aliis abjecte, in dignoscenda veritate sentientium, *pugnaciter agere* nolumus.

V. Sed ne adhuc imposterum Ripamontii viri gravissimi auctoritas in discrimen adducatur, præsto est alter Mediolanensis scriptor Sancto Carolo æqualis, Caspar Bugatus, Theologus Ordinis Prædicatorum, qui totos triginta annos priusquam Ripamontii Historia prodiret in lucem, disertus Modoetiensis Clavi assertor exstiterat in Accessione ad suam Historiam universalem, a me alibi memoratam. Siquidem

Bu-

Cap. X. Bugatus in sua hac Accessione ab A.D. 1566. ad A.D. 1581. perducta, & triennium ab obitu Sancti Caroli Mediolani impressa ab heredibus Simonis Titi A. D. 1587. pag. 155. describens publicas supplicationes ab eo factas, ut Deus ob peccata hominum justissime iratus, sæviente lue placaretur, narrationem instituit de Clavo Mediolanensi per sanctissimum Archiepiscopum solemni tunc cæremonia circumlatum, nempe A.D. 1576. testibus Carolo a Basilica Petri in ejus Vita lib. v. cap. iv. & Jo. Petro Glussiano lib. iv. cap. iv. remque ab initio auspicatus, ait, unum ex Clavis Dominicis, ab Ambrosio memoratis, Mediolanensem illum haberi, alterum Modoetiensem. Sed Bugatum suismet verbis loquentem audiamus: *l'altro è quello, il quale si conserva nel Tempio di Monza nella Corona Imperiale, secondochè se n'ha relazione* ANTICA, *acconciato in un cerchietta tondo, di dentro d'essa Corona, d'oro di fuori: il qual* FERRO *sempre sta lustro, o stette, per la* TESTIMONIANZA FEDELE *de'* VECCHI, *e* UNIVERSALI, *benche stia in luogo umido rinchiuso, dove ogni altro ferro sarebbe tutto roso omai.* Hactenus Bugatus, qui utrumque Clavum se considerate, attente, & maxima admiratione inspexisse subjungit. Lamina ferrea, quæ a viro docto & theologo A. D. 1576. ex *relatu antiquorum* Clavus Dominicus dici meruit, nunquid est fabula nudiustertius excogitata? Longe facessat a nobis tam audax, ne dicam temerarium effatum. Bugato suffragatur ejus æqualis Jo. Franciscus Besutius in Historia pontificali, primum edita Mediolani per Pandulphum Malatestam A.D. 1596. & Cardinali Friderico Borromæo nuncupata. Etenim cap. xxxv. pag. 94. rem, tunc universis popularibus suis notissimam, tradit, nempe Emanuelem Sa, Societatis Jesu eximium Theologum, ab Summis Pontificibus in Romana editione Bibliorum adhibitum, & scriptis editis clatum, in prælectionibus biblicis coram Sancto Carolo in Basilica metropolitana post persoluta divina offi-

officia publice habitis, Domini Clavum Coronæ Modoetiensi intextum laudasse, illumque se millies osculaturum dixisse, ubi aliquando Modoetiam accederet. Besutius idem repetit in Historia inventionis Sanctæ Crucis & Clavorum, edita Mediolani ex typographia Archiepiscopali A.D. 1603. Subdit, se Modoetiensibus gratificaturum nequaquam hoc scribere, sed, ut beneficia a Deo in Insubres collata testetur, apud quos, præter tot pignora, duo Clavi Domini adservantur. Cap. XI.

VI. Hi domestici auctores, e quibus tamen Emmanuel Sa ortu fuit Lusitanus, centum & eo amplius ab hinc annis una voce de Clavo Modoetiensi, tanquam de re omnibus nota, & veterum testimonio & traditione firmata, dixisse comperiuntur. Nunc alios æquales, ejusdem veritatis adstipulatores addamus, unde liqueat divinitus quodammodo contigisse, ut illa eadem urbs, quæ olim Coronæ ferreæ aliam ob caussam contemtores invidos dederat, postmodum præcones multos & diversos dederit. Paullus Morigius Sacerdos ex Ordine Jesuatorum, qui floruit ante Carolum, ævo Caroli, & post Carolum, utpote natus A. D. 1525. & demortuus A.D. 1604. in *Sanctuario* Mediolani edito A.D. 1603. sacrum *Clavum* Modoetiensem laudat, *pretiosum thesaurum* appellans, atque cum ceteris lipsanis Basilicæ Sancti Jo. Baptistæ a Sancto Carolo aliisque Archiepiscopis fuisse recognitum. Eadem tradiderat in Descriptione Ecclesiæ metropolitanæ, Mediolani vulgata apud Antonium de Antoniis A.D. 1597. & 1600. cap. xix. Sacra lamina, ipso teste, nunquam rubiginem passa est: quod Bugatus, Besutius & Ripamontius quoque testati fuerunt. Hanc virtutem Clavis Dominicis peculiarem fuisse tradit Baronius A. D. 326. §. 11. Laudat Morigius antiquas scripturas, relationes, pluresque alias adprobationes præter multorum liberationes, qui a morbis & immundis spiritibus vexabantur. Hæc eadem testatur Bartholomæus Zucchius in Historia Coronæ ferreæ, Mediolani typis

Ar-

Cap. X. Archiepiscopalibus edita A. D. 1613. ubi pag. 68. ex ore parentis sui, nempe Casparis Zucchii, qui unus fuerat ex comitatu & familia Sancti Caroli, affirmat, hunc magnum Ecclesiæ Antistitem non solum coluisse, & *ratione contactus*, ut loquuntur Theologi, adorasse Coronam ferream, sed aliis quoque auctorem fuisse, ut idem facturi, Modoetiam accederent. Idem Zucchius in Vita Sancti Gerardi pag. 129. testatur, Beatum Carolum, ut *sanctam habuisse, coluisse, & omnibus prædicasse Coronam ferream*. Nunquid omnia hæc commenticia sunt? Nimirum paucos intra annos tot scriptores Mediolanenses in unam sententiam coeuntes putidissima mendacia, universis Insubribus usque ad illam ætatem inaudita & incognita, vulgare non erubuerunt, Modoetiensibus utique gratificaturi, quos opibus, gratia, & officiis in maxima urbe parum valere fortasse ignorabant. Huc iterum advoco probatissimum Theologum & Episcopum Melchiorem Canum, qui in Locis theologicis lib. xi. cap. iv. agens de auctoritate humanæ historiæ, hoc axioma, omnium adprobatione & plausu dignissimum, statuit: *si omnes probati & graves historici in eandem rem gestam concurrant, tunc ex horum auctoritate certum argumentum promitur, ut theologiæ dogmata firma etiam ratione constituantur*. Cur non etiam, ut Modoetiensium populorum pietas & religio, majorum exemplis & traditione hausta, erga Clavum Dominicum in laminam versum, immo verius hoc medio erga Sanctissimi Redemtoris nostri Passionem, foveatur?

VII. Ne scriptoribus proletariis & parvi nominis rem conficere velle dicamur, hi, quos adduximus, apud suos proletarii certe non sunt. Sed nec profecto apud alios Emmanuel Sa, Bugatus, & Ripamontius. Morigium & Besutium laudat Puricellus in Dissertatione Nazariana pag. 693. 728. & 736. Besutium vero inter *graves auctores*, qui de Sancto Carolo scripserant, recenset Glussianus in præfatione ad Vitam ejus-

ejusdem Sancti Caroli: ex auctoribus vero illis nonnulli sunt Cardinales & Episcopi celeberrimi. Zucchium Gretserus in libris de Cruce pag. 2639. editionis II. laudat, ut virum *perquam eruditum*, ejusque Commentarium de Regina Theodelinda *insignem* appellat, subinde recitans quæ scripsit de sanctitate Coronæ ferreæ. A tanto viro laudari magnam ingenii mercedem existimo. Besutio reliquisque jam accedat Franciscus Collius, æque ac Ripamontius Collegii Ambrosiani Theologus, idemque summus in Basilica metropolitana Pœnitentiarius & doctis libris editis celeberrimus: in quibus egit de Animabus Paganorum & de Sanguine Christi. Is porro in hoc eodem postremo opere, Mediolani edito typis Collegii Ambrosiani A.D. 1617. lib. III. Disputatione XIII. cap. IV. pag. 416. argumentum de Clavis Dominicis persecutus, *antiquas & recentiores Historias* appellat, & *perveterem, percelebrem, certamque*, ut ait, Modoctiensium opinionem, pro Domini Clavo apud illos servato. Collii testificatio ipsiusmet verbis aptius demonstrabitur: *Modoetiæ*, inquit, *in Mediolanensi ditione* CORONAM FERREAM, *qua Imperatorum capita de more cingebantur, Dominico nobilitari* CLAVO ANTIQUÆ *& recentiores* HISTORIÆ *tradunt: estque* PERVETUS AC PERCELEBRIS *omnium ejus apud incolarum* CERTA *opinio*. Exploratius & tutius Collio hac in re scribere ullum posse vix puto; dum *antiquas & recentiores historias*, ad hæc *perveterem, percelebrem, certamque incolarum opinionem* laudat. Collio adhuc succedat Tobias Corona Mediolanensis ex Clericis regularibus Sancti Paulli, qui in libro de Sacris templis edito Romæ apud Andream Fejum A. D. 1625. cap. XII. pag. 108. ceteris auctoribus hactenus recensitis undequaque consentit; addens, Coronam ferream per Sanctum Carolum pro vero Domini Clavo habitam & cultam, *multisque miraculis* certo claruisse. Fuit Corona ob doctrinam & pietatem Summis Pontificibus Paulo V. Gregorio XV. & Urbano VIII. maxime

 carus. Hujus & reliquorum, quos adduximus, auctorum elogia habes in Athenæo Mediolanensi Philippi Picinelli. Alios bene multos his recentiores, qui sæculo proxime elapso eadem literis tradiderunt, memorare non expedit, quum rationum pondere & scriptorum auctoritate potius, quam numero agendum esse censeamus.

VIII. Præterire tamen nolumus Francifcum Quaresmium Laudensem, Theologum Ordinis Minorum de Observantia Sancti Francisci, utpote virum apud suos præcipuis muneribus functum, & egregie doctum: quod præ aliis ejusdem operibus probat *Elucidatio Terræ Sanctæ*, Antuerpiæ apud Plantinum vulgata A. D. 1639. tomis duobus in folio. Quaresmius ergo in MSS. quæ Laude in Bibliotheca ipsius Ordinis exstant, fuse agit de Corona ferrea Modoetiensi, quam ex Domini Clavo confectam fuisse non dubitat, immo egregie tuetur, remque ita concludit: *denique quid opus erat, tot Reges & Imperatores, nihil pensi habentes neque pericula, neque expensas, coronari hac Corona? Nam si ferrum inibi inclusum, esset quomodocumque ferrum, poterant etiam alibi redimiri, curando, ut ferrea aliqua Corona elaboraretur pro coronatione?* Sed ne sola auctoritate scriptorum agere videamur, obsignatis etiam tabulis in subsequenti Capite nos agere oportet.

CA-

CAPUT XI.

Corona ferrea inter sacra lipsana longe ante Beatum Carolum adservata. Idem vir sanctus, & ejus successores Archiepiscopi Medialanenses, ut Clavo Dominica instructam, palam coluerunt, & publicitus colendam sanxerunt. Vigilantia & summa cautela in examine reliquiarum ab eodem Carolo adhibita.



Ohannes Baptista Daganus Modoetiensis Decurio, qui A. D. 1530. orationem scripsit de laudibus Caroli V. Imperatoris: quam tamen Bononiæ habere non potuit, Indicem Reliquiarum Modoetiensium digessit, ex quo hæc decerpsimus: *reperiuntur multa aliæ reliquiæ, & pracipue in Archivo* THESAURI, *in quo adest facer* CLAVUS *Domini nostri Jesu Christi, intus Coronam auream intextus: qua Imperatores coronantur, & appellatur Corona ferrea.* Et quidem in arca Thesauri adservatas Reliquias satis constat ex iis, quæ A.D. 1561. Sanctus Carolus decrevit sub titulo *de Prefectis fabrica*, quum Modoetiensem Basilicam inviseret. Ad hæc ex Summario typis Cameralibus edito num.30. quum Balthassar Cæpolla Canonicus metropoleos Mediolanensis A.D.1595. & 1596. jussu Friderici Cardinalis Borromæi Modoetiensem Basilicam & ejus lipsana perlustraret, in Acta suæ Visitationis, quæ exstant Mediolani in tabulario Fori Archiepiscopalis, hæc retulit, in recensione Thesauri: *Corona item alia aurea, cujus interiarem partem circumdat circulus ferreus, quem ajunt constructum ex uno* CLAVORUM *Domini: & hec ad coronandos Imperatores.* Religionis, ut dixi, & securitatis caussa servabatur Corona ferrea in Thesauro Basilicæ, tanquam

CAP. XI. *mysterium Imperii*, ut apposite ait Ripamontius in Decade I. Historiarum lib. VIII. pag. 501. Nec putamus in verbo *ajunt* dubium ullum latere. Visitator enim ab aliquibus de Clavo docendus fuerat, atque hoc fieri debuit verbo *ajunt*. Gregorius XIII. diplomate scripto die XVIII. Aprilis A. D. 1579. largitur Indulgentias adeuntibus Metropolitanam Ecclesiam Mediolanensem die festo Inventionis Sanctæ Crucis, *ut Clavus*, inquit Pontifex Summus, *ex illis*, SICUT *pie* ASSERITUR, *quibus Dominus noster Jesus Christus Cruci affixus fuit, colatur*. Clavus etiam Coronæ ferreæ *pie* ASSERITUR unus ex *illis, quibus Dominus noster Jesus Christus Cruci affixus fuit*.

II. Verum opponunt, religiosissimos Cardinales Borromæos Carolum & Fridericum Basilicam Modoetiensem lustrantes, Coronæ ferreæ in Reliquiarum Indice non meminisse. Scilicet qui sic loquuntur non animadvertunt, tunc moris fuisse, ut Reliquiæ non secundum seriem, sed secundum scriniorum & loculorum in Basilica exstantium ordinem describerentur. Quum vero *Thesauri* Modoetiensis sacra cimelia uterque Borromæus scrutaretur, tunc ferreæ Coronæ ibi adservatæ uterque pariter meminit. Verum quid pluris faciendum? Actane Visitationis, an Episcopus visitans? Omnes utique pluris facient Episcopum ipsum, qui suæ præsentiæ & auctoritatis oraculo de re ipsa judicet, quum tabulæ aliquando vitio laborent. Ita omnino. Sanctus Carolus coluit Coronam ferream, Fridericus Cardinalis semel, iterum, & tertium sanxit, ut suppliciter in solemni populorum frequentia, tanquam Passionis Dominicæ monumentum circumferretur. Tantorum deinde Cardinalium exempla sequuti alii Cardinales & Archiepiscopi Cæsar Montius, & Alphonsus Litta pariter sanxerunt, seu potius jampridem sancita adprobaverunt, ut quotannis in ara maxima Basilicæ Modoetiensis in festo Dominicæ Adscensionis Fidelium cultui exponeretur: quod ex eorum Actis legitimis constat. Ad hæc Sanctus Ca-

ro-

rolus in Commentariis suæ Visitationis A. D. 1578. singula non descripsit. Ubi enim reperies quæ de reddendis Basilicæ Modoetiensi insignibus episcopalibus statuit? Ubi quæ de Romanis Modoetiensium ritibus sanxit? Quid plura? Neque Sanctus Carolus, neque Apostolicus Visitator Hieronymus Ragazonius, primum Famaugustanus & deinde Cremonensium Episcopus, quicquam decreverunt de corpore Sancti Gerardi, in Modoetiensi Ecclesia suburbana Sancti Ambrosii quiescente. Ergone quia nec Sanctus Carolus, nec Ragazonius corpus Sancti Gerardi memorarunt, illud ipsum ibidem non quiescebat? Similiter in Actis Visitationis Friderici Cardinalis plura desiderantur, ut propterea Critici fidentissimi & præcipites norint, non omnia ab Episcopo diœcesim obeunte in tabulas mitti. Ubinam vero Fridericus insignes Reliquias memorat, in Cruce, quæ dicitur *Regni*, dispositas? Et tamen de Cruce ipsa mentionem fecit. Ad hæc Modoetienses ex præscripto Sancti Caroli Actorum Ecclesiæ Mediolanensis tomo I. parte IV. tit. II. pag. 607. & 614. editionis A. D. 1599. in folio apud Pacificum Pontium Impressorem Archiepiscopalem, indices seu *tabellas* Reliquiarum typis editas, ubi ferrea Corona cum ceteris lipsanis descripta recensebatur, utrique lateri altaris maximi affixas servarunt: quæ etiam tabellæ quotannis e loco edito per unum e Sacerdotibus in populi frequentia prælegebantur, ex Summario Articulo IX. num. 15. Hæc tabellarum prælectio, quæ plurimi facienda est, memoratur in Actis Visitationis Friderici Cardinalis Borromæi Tit. *de Reliquiis* in calce. CAP. XI.

III. Sed jam tandem testimonium maxime perspicuum adducamus, ex quo pateat, Sanctum Archiepiscopum & Cardinalem Carolum Borromæum A. D. 1578. coluisse Coronam ferream, ut Christi Domini Clavo constantem. Hoc posterorum memoriæ commendavit Jo. Franciscus Cabiatus Modoetiensis, Apostolica & Imperiali auctoritate Notarius,

CAP. XI. rius, qui natus A.D. 1553. extremum diem obiit A.D. 1663. postquam vixisset annos cx. Hic in publicis tabulis ab se confectis die xxv. Maii A.D. 1651. quum annum nonagesimum octavum ageret, sacramento interposito affirmavit, se adfuisse A.D. 1578. in Basilica Modoetiensi dum Sanctus Carolus sacrum ejus Thesaurum recognosceret una cum Episcopo Ragazonio. Peracta Basilicæ visitatione, ad locum secretario proximum, ubi adservatur idem Thesaurus, uterque profectus est: mox tabulario reserato, Sanctus Carolus suismet manibus thecam Coronæ ferreæ suscepit, accensisque ejus jussu funalibus, sacrum Clavum genibus flexis & magna religione osculantes, sibique vicissim capiti imponentes, una pariter adoraverunt. Addidit Carolus, laminam *verum & certum esse Clavum Dominicum*: idque ob multas *revelationes & miracula* inde patrata: quibus illud adscripsit, Coronam ferream, licet diu sepultam, nunquam rubiginem subiisse. Miranti Episcopo Ragazonio tot sacra pignora, & sciscitanti quomodo illuc pervenissent, respondit Carolus, dono Magni Gregorii una cum Corona ferrea ad Reginam Theodelindam singula pervenisse. Ita oculatus & auritus testis universorum fide dignissimus Cabiatus, qui omnia fuse prosequitur in Instrumento ea de re edito in Summario num. 19.

IV. Hæc confirmant Vitæ S. Caroli fidelissimi auctores, Carolus a Basilica Petri lib.II. cap.IV. & Jo. Petrus Giussianus lib.II. cap.VI. qui de compacto testantur A. D. 1575. Hieronymum Ragazonium, postulante Sancto Carolo, missum fuisse ab Apostolica Sede ad recognoscendam Ecclesiam & diœcesim Mediolanensem: quo in munere subsequentibus annis laboravit, iterumque A. D. 1579. in visitatorem partis provinciæ Mediolanensis adlectus fuit. Ad hæc Sanctus Carolus enixe laudavit visitationem Apostolicam, quam *Reverendissimus Episcopus Famaugustanus in urbe diœcesique providentissime executus est*. Sic legitur in Actis Ecclesiæ

Me-

Mediolanensis a Carolo conditis tomo I. parte IV. pag. 660. Cap. XI.
Quare superiori occasione proximam Basilicam Modoetiensem Carolus & Hieronymus recognoverunt. Sed neque unus est Cabiatus, qui de Sancto Carolo hoc, quod dixi, testatum reliquerit; nam & alii bene multi idipsum testantur ex ore parentum, avorumque, qui rei gestæ interfuerant, & in Basilica Modoetiensi de more sanctissimum virum e suggestu venerationem erga Coronam ferream commendantem audierant. Immo etiam eundem Carolum produnt cogitasse de reponenda Corona ferrea in loco nobiliori, quo Fidelium cultus erga eam augeretur, quamadmodum de Clavo Mediolanensi egerat apud Glussianum lib. IV. cap. XII. Hoc vero haudquaquam peregit, quamquam sexennium supervixerit, quia una hæc ejus sollicitudo non fuit: nec tandem Corona in loco indecoro adservabatur, ut ibi etiam debito cultu stare non posset. Narrationes, quas sacramento interposito duodecim testes ad hoc vocati consuetis & solemnibus formulis in publicas tabulas retulerunt coram ministris Fori metropolitici A. D. 1688. 1689. prostant in Summario edito Romæ, præcipue Articulo XI. num. 16. a §. 1. ad §. 22. Eorundem vero testium aliqui sunt ex sacro ordine presbyterorum, adeo, ut nefas sit rei veritatem in dubium vocare: quam præterea tanto ante confirmaverant testimonia æqualia & proxima, centum & eo amplius ab hinc annis Mediolani typis Archiepiscopalibus cusa, & superius a me prolata. Huc pertinet Axioma II. a viro doctissimo Petro Daniele Huetio suæ Demonstrationi Evangelicæ præpositum pag. XI. edit. I. *omnis historia est verax, quæ res gestas ita narrat, uti narrantur in multis libris coætaneis vel ætati proximis, quæ res gestæ sunt*, ita ut hujusmodi historiæ adversari, sit profecto axiomatibus adversari, sive primis principiis, omnium gentium consensione passim receptis. Hoc dementem vel minime Christianum hominem sapit.

Quam

CAP. XI. V. Quam sollicitus, cautus & rigidus fuerit Beatus Carolus in recognoscendis, examinandisque lipsanis, & falsa, siqua essent, a veris discriminandis, egregie docet accuratissimus ejus Vitæ scriptor Glussianus lib. v. cap. VII. ubi ex hac magna viri sancti diligentia ortum dicterium testatur, *per Cardinalem Borromæum nec vivos, nec mortuos quiescere*. In rei testimonium Historicus adducit exemplum reliquiarum, quas præcipuo cultu & veneratione habitas Carolus tandem ab se pro falsis detectas intrepide explosit, postquam illas, earumdemque originem incredibili sollicitudine explorasset; unde maxima in populis erga illum admiratio excitata est: qui ex eo tempore Carolum una voce, ut hominem divino spiritu afflatum, suspexerunt. Pari cura & vigilantia recognovit Sanctorum Naboris & Felicis reliquias lib. II. cap. XXIX. & corpus Sancti Nazarii, ejusque indicia lib. v. cap. IX. Quanta porro ejus esset religio in veris, utque ex Sancto Optato in lib. I. cap. XVI. de Schismate Donatistarum, veteri Ecclesiæ formula utar, *vindicatis* lipsanis colendis & venerandis, docet Glussianus lib. VIII. cap. II. Hæc ideo a me dicta sunt, ne ullum fugiat quo loco habendum sit tanti viri, ac fuit Carolus, de Corona ferrea judicium in re, quæ religionis negocium tangit. Sed audiamus quæ magnus Antistes pro lipsanorum recognitione sancienda curaverit in Synodo provinciali IV. *Sanctorum corpora & sacras reliquias Episcopus a religiosis*, PERITISque *sacerdotibus, quos eo potissimum nomine deligat, tum in urbe, tum in diœcesi sua* QUIAUSQUE *in Ecclesiis, locisve illa sint*, RECOGNOSCI QUAM PRIMUM *jubeat. Quæ in recognitione hæc præstentur. Primo ut scripta, tabulæ, literæ*, CERTI *annalium codices, aliave cujusvis generis monumenta, quæ in iis ipsis Ecclesiis, earumque atriis, atque ædibus, aut aliis locis exstant, schedulæque vasculis, arcisve sacrarum reliquiarum affixæ, inclusave* RECOGNOSCANTUR ACCURATE *& diligenter; unde* *illa-*

illarum vel translatio vel collocatio sibi facta cognosci, aut Cap. XI.
alia ejusmodi notitia earumdem haberi queat. TESTES *præterea conquirantur, si qui sunt, qui* TESTIMONIUM DENT ANTIQUÆ, CONSTANTISQUE TRADITIONIS, *ex qua* CERTA *earum cognitio* CONSTET; *aut alia, sicut opus erit, id generis diligentiæ ad rei perspicientiam habeatur.* Hæ Carolinæ sanctiones immortalitate dignissimæ cum aliis æque venerandis prostant in Actis Ecclesiæ Mediolanensis tomo I. parte. I. pag. 115. Omnia hæc prodierunt ad regulas Concilii Tridentini, quod Sessione xxv. ante cap. I. jubet, *nec* NOVAS *Reliquias recipiendas, nisi eodem* RECOGNOSCENTE *&* APPROBANTE *Episcopo.* Quis porro sibi aut aliis temere persuadeat, præceptiones hujusmodi, quas vir beatissimus ab Episcopis suæ metropoleos adamussim servari voluit, ipsummet neglexisse in Basilica Modoetiensi suis oculis subjecta & proxima, utpote in quinta regione Præposituræ Mediolanensis ab ipso posita Actorum parte IV. pag. 661? Quis Carolo tantum crimen affingat, ut laminam in Corona ferrea inclusam, sanctionibus suis insuper habitis, coluisse jactet, aliisque colendam proposuisse, ab se nequaquam recognitam, ut revera Domini Clavo constantem? Præpostera hæc judicia de tanto viro procul a nobis facessant: quem præterea scimus in hujusmodi Reliquiarum negocio tam vigilem & accuratum fuisse, ut in Concilio provinciali IV. hæc statuenda curaverit tomo I. Actorum, pag. 115. *nec vero sine scripta Episcopi probatione, etiam Regularibus & aliis exemptis, ullas* NOVAS RELIQUIAS *evulgari, aut populo* EXPONI, *venerandasve proponi patiatur Episcopus antequam a se* RECOGNITÆ *& probatæ illæ sint: quæ in probatione servet is omnino formam a Tridentino Concilio ea de re præscriptam.* Sed quod statim subsequitur, manifeste etiam ostendit, Coronam ferream, utpote in Ecclesia servatam, pro re sacra, immo *sancta*, ut ex Villanio diximus, semper habitam. Audiamus iterum Sanctum Carolum: *Reliquiæ*

CAP. XI. *Sanctorum in privatis ædibus, neque apud laicos homines, sed in* ECCLESIA, *loco conspicuo, bene septo, atque undique ornato collocentur & asserventur. Atque in ea loco decenter ac pie vel arcis vel capsulis, vel vasibus, loculisve recondita includantur, ut, & præstantiarum ratione, ac pro Ecclesiarum dignitate & facultatibus, formæ instructionibus nostris præfinitæ, omni ex parte respondeant.* Hæc Beatissimi Caroli præscripta ab insigni Collegio Basilicæ Modoetiensis in custodienda Corona ferrea semper adamussim servata sunt.

VI. Quod Carolus, cœlesti lumine præditus, palam egit, & venerando exemplo suo, in sacris etiam concionibus publice confirmato, fieri docuit, quin Modoetiensibus, cæterisque Catholicis alacriter sequi liceat, non est, cur quisquam ambigere debeat. Quare non video, cur tandem reperiri potuerit qui constanti majorum traditione seposita, actibusque insuper habitis tanti metropolitæ & Ecclesiæ Confessoris ac fuit Carolus Borromæus, de Ecclesiastica disciplina supra omne præconium benemeritus, contra Modoetiensem laminam insurgere non dubitaverit, facta a Sancto Carolo infecta reddere conatus. Coronæ ferreæ sanctitas post Carolum ejusque successores amplissimos Fridericum Borromæum, Cæsarem Montium, & Alphonsum Littam Archiepiscopos & S. R. E. Cardinales, in munere suo vigilantissimos, qui illam de compacto identidem agnoverunt, adeo in tuto posita erat, ut nonnisi magna & evidentissima ex caussa in dubium vocari debuisset, ne Modoetiensium & finitimorum religioni & pietati offendiculum temere injiceretur. At si nullum aliud omnino argumentum pro ejusdem Sanctitate superfuisset, hoc unum ex Beati Caroli dictis & factis haustum, avorumque traditione, Theologorum, Historicorum, & tabularum auctoritate ac fide hucusque transmissum, pro perspicuo & locupletissimo haberi debuit, quum nemo unus, modo rationis sit compos, nolit in hujusmodi

re-

rebus maximi illius Antistitis facta potius imitari, quam exaggeratis, & ad nauseam profusis conjectaneis, pridem in Coronam ferream Mediolani editis, auscultare. Hoc loco pro Modoetiensibus succurrit monitum Sancti Paulli epist. II. ad Thessalonicenses II. 2. *non cito moveamini a vestro sensu, nec terreamini.* Cap. XII.

CAPUT XII.

Sancti Gregorii Magni disciplina in examine Reliquiarum servanda, ex parte Modoetiensium undequaque servata. Coronæ ferreæ cultus. post Sanctum Carolum sub Archiepiscopis proxime successoribus uberrime ostensus & miraculis confirmatus.



Anctus Augustinus Anglorum Apostolus multis & variis postulatis ad Beatum Pontificem Gregorium Magnum ab se directis unum inseruit, quo corpus cujusdam Sixti, tanquam martyris, in illa Insula coli nunciavit: quod tamen ipsi *nec verum, nec veraciter Sanctum* videbatur. Quare vir prudentissimus Summi Pontificis in deliberando consilium flagitavit. Quid vero ad Augustinum respondit Gregorius Magnus? Audi Responsum IX. ex epistola LIV. alias XXXI. libri XI. alias IX. & mirandam Gregorii cautelam, sanctamque prudentiam suspice. Misit ad Augustinum veras *reliquias Sancti Sixti martyris, quatenus*, inquit maximus ille Pontifex, *populus, qui in loco quondam Sancti Sixti martyris corpus dicitur venerari, quod tuæ fraternitati nec verum, nec veraciter Sanctum videtur, certa sanctissimi martyris beneficia* (sive lipsana) *suscipiens, colere incerta non debeat.* Monuit tamen Grego-

CAP. XII. rius Augustinum, ne prius Sixti illius reliquias venerationi Anglorum subduceret, quam exploratum habuisset, eas ad martyrem vindicatum reapse non pertinere. Id autem Christi Vicarius probari docuit hac regula, auro & cedro dignissima, quatenus *neque aliqui de* ANTIQUIORIBUS *existant, qui se a* PARENTIBUS *passionis ejus* (Sixti) *ordinem audisse fateantur*. Hæc tanti Pontificis consultatio fuit egregia & veneranda posterorum in hujusmodi rebus instructio. Ab *antiquioribus* sciscitandum quid ipsi de veritate historica reliquiarum a *parentibus* suis audierint. Modoetienses jampridem in Foro metropolitico Mediolanensi Gregorianam hanc disciplinam satis superque impleverunt. Etenim ministri Archiepiscopales sacramento interposito non solum ab *antiquioribus* rigidissime sciscitati sunt, quid ipsi a *parentibus*, sed quid ab *avis & proavis* octogenariis & centenariis de Clavo Dominico, Modoetiensi Coronæ intexto, audivissent: idque non ab uno aut altero, sed a quamplurimis sacri & religiosi ordinis viris, nedum sæculari magistratu perfunctis, semel & iterum solertissime quæsiverunt. Horum testimonia ab actuariis Archiepiscopatus Mediolanensis in publicas tabulas relata sunt: quorum excerpta typis Romanis prodierunt? Hi, quorum aliqui centesimum ætatis annum ferme attingebant, ad unum omnes per quicquid sanctius Religio Catholica veneratur & colit, affirmaverunt, se a majoribus suis, qui ferme centenarii decesserant, audivisse quod ipsi pariter a majoribus suis audierant, aut ipsimet viderant, Coronam ferream semper cultam, ut sanctam & ex Domini Clavo confectam: hanc Beatum Carolum Borromæum coluisse, & colendam prædicasse. Quid amplius in re exploratissima quæratur? Anne tentare Dominum volumus, ut quod Servi sui gestis & diutina populorum, Archiepiscoporum & Cardinalium religione firmavit, adhuc supervacaneo signo & miraculo comprobet? *Signum quærit, & signum non dabitur ei*, inquit Christus Dominus nationi

in-

incredulæ apud Matthæum xvi. 4. Jam de Archiepiscopis Carolum proxime subsequutis investigemus, num scilicet Coronæ ferreæ sanctitatem agnoverint; & a populis Modoetiensibus aliisque agnosci voluerint. Cap. XII.

II. Oculati testes presbyteri & sæculares in Summario Articulo xi. num. 17. sacramento de more obstricti affirmaverunt se vidisse A. D. 1631. mense Maii Cardinalem & Archiepiscopum Fridericum Borromæum in genua procumbentem colere Coronam ferream, capiti suo impositam ab Archipresbytero Modoetiensi Antonio Maria Brambilla, vestibus sacris induto, & metropolitam suum consueta hac formula alloquente: *Domine Cardinalis, hæc est Corona ferrea, in qua repositus est Clavus Passionis Domini nostri.* Ad quæ Cardinalis quum respondisset, *hoc jam scimus*, surrexit deinde & osculatus est illam, adstantibus Basilicæ Canonicis, aliisque bene multis, qui in sacrarium confluxerant: & accensis funalibus, ut in sacris lipsanis ostendendis fieri alias consuevit ex præscripto Sancti Caroli Actorum parte 1. tomo 1. pag. 5. col. 1. ubi nonnisi ad *lumina accensa* jubentur ostendi. Id ipsum A. D. 1644. ab Cardinali & Archiepiscopo Cæsare Montio & ab eodem Archipresbytero Brambilla factum fuisse alii fuse testantur Articulo xii. num. 18. ubi §. 2. discimus, hunc Cardinalem in maxima populorum frequentia post Missæ celebrationem ab se peractam, vestimentis Pontificalibus indutum, Coronam ferream cum ceteris lipsanis super altari expositam flexis genibus veneratum & osculatum. Postmodum Archipresbyter capiti Cardinalis, adhuc in genua procumbentis, Coronam imposuit. Post Montium Alphonsus Litta Presbyter Cardinalis Tit. Sanctæ Crucis in Hierusalem, quum in Archiepiscopum Mediolanensem A. D. 1666. electus fuisset, & sui Tituli mirandam Lipsanothecam lustrasset, se palam omnium Cardinalium felicissimum pronunciavit propterea quod sub sua custodia tres Dominicos Clavos haberet.

CAP. XII. ret. I. in Basilica Sanctæ Crucis. II. Mediolani. III. Modoetiæ. Idem postea Modoetiam accessit, ubi Missæ celebratione peracta in ara maxima, in qua publicæ venerationi prostabant reliquiæ & Corona ferrea, hanc propius inspicere voluit, jussitque ut per Archipresbyterum Franciscum Bernardinum Velam capiti suo imponeretur, cujus dolorem, quo torquebatur, inde lenitum Cardinalis fide dignissimus testatus est, cui id de se proferenti refragari non licet. Hæc fusa & accurata simplicitate, cui veritas inesse dignoscitur, a testibus oculatis descripta sunt in Summario Articulo XIII. num. 19.

III. Ne quicquam desiderari possit, quod solemnem Coronæ ferreæ cultum demonstret, alii vades probatissimi & antiquissimi accedunt ex Actis Fori Metropolitici, ætatis 80. & 103. annorum, qui ab aliis ejusdem ætatis hominibus se audivisse affirmant, per Archipresbyteros Modoetienses Hieronymum Septalam, Adamum Moltenum & Antonium Mariam Brambillam A.D. 1606. 1610. 1627. 1630. 1631. 1636. 1644. 1655. 1684. in publicis supplicationibus Coronam ferream, utpote Domini Clavo constantem, nullis aliis reliquiis adjunctis, per totum opidum circumlatam, in lebete argenteo, & sub divite umbella, sacro thure hinc & inde fumante: eandemque postmodum collocatam in ara maxima, fidelium populorum venerationi exponendam. Hæc leguntur in Summario num. 8. 9. 10. 11. 13. 29. 31. Ibi nubes testium pariter adducitur ad comprobandum, Coronam ferream quotannis in die festo Sancti Jo. Baptistæ, in Adscensione Domini & in Dominica infra Octavam in ara maxima prostitisse omnium venerationi, atque ibi accensis funalibus & trina, ut dicimus, thurificatione cultam per sacros ministros, idque in plurima populi frequentia. Omnia hæc secundum Beati Caroli disciplinam pariter facta sunt: quam vide Actorum ejus tomo 1. par. 1. Concilio provinciali IV. pag. 116. col. 2.

Ad

IV. Ad hæc variis occasionibus & tempore pestis supplicìter circumlata est, semper finitimis populis religionis caussa undique confluentibus: nec ante desivere Modoetienses Coronam ferream in ara maxima supra Crucis argenteæ verticem collocare (quod adnexæ ligulæ ferreæ adhuc ostendunt) quam hominis cædes in templo patrata, turbæque excitatæ metum Sacerdotibus & civibus injecere, ne Thesaurus inde auferretur. Etiam Aloysius de Tattis in Martyrologio Novocomensi A. D. 1675. vulgato pag. 79. Dominica die infra Octavam Adscensionis Coronæ ferreæ Clavum Modoetiæ cultum testatur. Omnia hæc perspectissima fuerunt Summo Pontifici Innocentio XI. qui adhuc S. R. E. Cardinalis generoso Comiti Jo. Baptistæ Durino Modoetiæ Domino sacra lipsana postulanti pro ejusdem opidi Basilica, respondit, Modoetiæ *satis lipsanorum exstare, & hæc inter Clavum Domini in Corona ferrea*, ex Summario edito num. 33. Deum etiam suam omnipotentiam per hanc laminam manifestasse, multis argumentis compertum est. De his fidem facit non solum Tobias Corona in libro de sacris Templis cap. XII. pag. 108. sed etiam Marianus Moronus a Malleo ex Ordine Minorum de observantia in opere de Terra sancta Placentiæ edito A.D. 1669. Parte I. lib. III. cap. IX. qui uno quasi ore testantur, ferrum Coronæ Modoetiensis certa miracula edidisse; illud exspellere immundos spiritus ex corporibus per eosdem obsessis & veneficia dissipare. Hujusce rei non pauca exempla oculati testes proferunt in Summario Articulo XV. num. 21. Articulo XVII. num. 23. §. 2. 4. dum enim Corona ex Thesauro educta in altari exponebatur, possessi a Dæmone horrendum in modum ululantes mirifice agitabantur, seque torquentes in terram projiciebant. Hæc prodigia Dominicis Clavis una voce tribuerunt sanctissimi Ecclesiæ Antistites Ambrosius Mediolanensis & Gregorius Turonensis. Ambrosius enim in oratione sæpe laudata de obi-

Cap. XII.

Cap. XII. de obitu Magni Theodosii ex persona Judæorum hæc scribit: *ecce Clavus in honore est: & quem ad mortem impressimus, remedium salutis est, atque invisibili quadam potestate* DÆMONES TORQUAT. Clavo Mediolanensi hoc idem tribuit Ripamontius Decade I. lib. II. pag. 139. Gregorius Turonensis lib. I. cap. V. de Gloria martyrum narrat, Justinum Imperatorem a mago illusum *magnam* VIRTUTEM *Freni publice* expertum. Etiam Vigilius Pontifex in Jurejurando per me adducto cap. I. §. VII. prædicat VIRTUTEM *Sanctorum Clavorum*, & VIRTUTEM *Sancti Freni*.

V. Tot argumenta & signa sanctitatis Coronæ ferreæ in caussa fuerunt cur summa pietas & religio insignis Collegii Basilicæ Modoetiensis de eadem cum aliis præstantissimis lipsanis in sanctiori loco reponenda cogitaret. Hinc annuente Cæsare Cardinali Montio A. D. 1655. quum magnam Crucem ligneam inauratam, ei persimilem, in qua Frenum servatur apud Mediolanenses, exstruendam curassent, in hujus medio Coronam locarunt, hinc & inde reliquiis Spongiæ, Spinarum, & Arundinis Domini nostri Jesu Christi dispositis. Corona vero ante illud tempus cum omni lipsanotheca, & Thesauro claudebatur in cubiculo ad hoc exstructo propè secretarium, unde quotannis solemni cæremonia, accensis funalibus & thure fumante extrahebatur, Cruci argenteæ in altari adpendenda. Illam verò Crucem, quæ Coronam ferream complecteretur, Cardinalis Archiepiscopus Alphonsus Litta Montii successor, Basilicam ex officio lustraturus, Modoetiæ exsistens, in publica supplicatione per plateas oppidi circumferri posse de antiquo more, concessit, petitioni Archipresbyteri & Canonicorum subscribens die XXVIII. Julii A. D. 1655. Ideoque anno insequenti 1656. & alias sæpenumero circumlata est sub umbella, ut rebus sanctis & venerabilibus fieri consuevit. Sicque prudentissimus Cardinalis abrogavit

vit decretum improvidum Vicarii generalis capitularis Antonii de Matthæis, qui sede Mediolanensi vacante post demortuum Cardinalem Montium, veniam de more petitam deferendi cum ceteris sacris lipsanis Coronam ferream per vicos Modoetienses, concedere detrectaverat, homo scilicet hospes in ecclesiastica antiquitate, & rerum Modoetiensium omnino ignarus. Quare Matthæi decretum vix editum, statim ab Archiepiscopo explosum & antiquatum, nunc contra Modoetienses infauste e tenebris suis revocatur. Corona deinde quotannis, ut antea, circumlata & venerationi exposita est post consultam de more Sedem Archiepiscopalem, etiam sedente Friderico Cardinali Vicecomite, Littæ successore A. D. 1684. Sexennio citius, nempe A. D. 1679. Christophorus Sucius presbyter ex sodalitio Oblatorum & Verdelli præpositus typis vulgaverat Orationem panegyricam ab se in Basilica Modoetiensi habitam die xi. Maii de laudibus Clavi Modoetiensis, populorum cultui expositi in die festo Adscensionis Dominicæ.

Cap. XII.

CAPUT XIII.

Modoetienses ædiculam condunt ad Crucem Reliquiarum in ea reponendam. Coronæ ferreæ sanctitas callide impetita. Ejus examen delatum ad Apostolicam Sedem. Commentarii ea de re scripti. Varia de Clavis Dominicis & eorum numero. Dissertationis epilogus.



INgens Modoetiensium pietas & religio quum ædiculam vel sacellum in Basilica Præcursoris magnifice condidisset, ut in eo debita cum religione Crux superiori capite memorata, sacris lipsanis plena, reponeretur, id revera factum est A. D. 1681. & ex cubiculo prope secretarium in ædiculam transiit, permissione de more impetrata à Ludovico Septala Vicario generali capitulari, & apud literatos clari nominis viro: qui ad id statuendum in consilium vocavit Carolum Antonium Ayroldum Canonicum Mediolanensem & Modoetiæ visitatorem, ut ex libello supplici præfectorum Basilicæ apparet. Hæc eadem Crux in platea sacro ritu circumlata est A. D. 1684. & 1685. cum metropolitica auctoritate. Verum Franciscus Antonius Tranchedinus A. D. 1687. in visitatione Basilicæ, nullo adhibito examine vetustatis & cultus Coronæ ferreæ per tot sæcula præstiti, nemine in consilium vocato, homo de antiquitate & populorum offendiculo parum sollicitus, inaudito & novo decreto ab se vulgaro priscam Modoetiensium religionem turbavit. Optandum sane erat, ut Tranchedini memoriæ obversatum fuisset illud Sancti Augustini in lib. III. Breviculi collationis Donatistarum cap. XXV. NON POSSE *gesta, quæ tanta roboravit antiquitas*, REMOVERI, *nisi aliis posterioribus gestis* E CONTRARIO *recitatis*. At vero nihil unquam solidi

e con-

e contrario in hoc Modoetiensi negocio fuit recitatum, nec profecto recitabitur. Recitetur autem istud Tranchedini decretum. *Admodum reverendus Dominus Archipresbyter doceat coram Eminentissimo Domino Cardinali Archiepiscopo qua facultate, & quo jure ea Corona ferrea fuerit extracta e loco Thesauri, in quo* SEMPER *habita fuit, & in Cruce aurea una cum reliquiis reposita: & hoc intra decem dies. Interim, quia ex situ dicta Corona cognovimus ibi eam stare solum accessorie, coronidem & ornamentum facientem sacratissima spongia, illam permittimus: & nihil innovetur usque ad emanationem decreti praedicti Eminentissimi Domini, remota illa* TABELLA, *in qua enunciatur: Reliquia Crucis. Et non exponatur sine expressa licentia Reverendissimi Domini Vicarii generalis, prout jam diximus in actis visitationis Crucis.* CAP. XIII.

II. Hujusmodi callida sanctio incredibile dictu est quantam animorum commotionem in Clero & Populo Modoetiae excitaverit, qui se fortunis patrum subnixos a potentioribus post saeculorum memoriam vexandos & fatigandos vehementissime formidarunt. Quare sacri Basilicae Ministri aeque ac opidi Magistratus, ostensis disciplinae suae monumentis tamdiu probatis, de injuria suae religioni a Tranchedino illata graviter pro sua pietate expostulaverunt apud Cardinalem Vicecomitem, qui tamen Tranchedino ipso, & quibusdam aliis in consilium vocatis, nihil sibi in ejusdem Tranchedini sanctionem definiendum ratus, negocium Throni Apostolici judicio subiciendum esse putavit, edito subsequenti decreto sincero & legitimo, quod integrum damus ad refellendum aliud prorsus falsum & commenticium, ab aliis confictum & pro vero vulgatum: quod oculatissimo fidei Promotori etiam imposuit num. 3. Animadversionum. Stultum enim fuisset per Modoetienses peti, ut Archiepiscopus declararet quod legitur in illo decreto ficticio, nempe

Cap. XIII. *ferream illam laminam confectam esse ex uno clavorum, quibus crucifixus Christus Dominus pependit in Cruce*, quum Modoetienses hac declaratione non indigerent, neo se indigere ullo modo putarent, utpote qui de re ipsa admodum certi, & per tot secula tutissimi conquieverant in hac fide, per Sanctum Carolum, ejusque successores Archiepiscopos toties agnita, & exemplo suo comprobata. Ex hactenus dictis verax lector pro sua æquitate judicet quam bene ingenti *Commentario* in Coronam ferream vulgato conveniat hoc epiphonema quo clauditur: *nos interea prudentissima Medialanensium Archiepiscoparum* JUDICIA *deosculemur*. Dic sodes quænam *judicia* huc ingeris? Vereor, ne tuis hisce osculis nobis imponas; nulla enim unquam *judicia* per Mediolanenses Archiepiscopos adversus antiquitatem, sanctitatem & cultum Coronæ ferreæ prolata fuisse intelleximus. Immo e contrario ostendimus eosdem Archiepiscopos usque ad Cardinalem Vicecomitem publicitus cam coluisse, & coli voluissa. Neque ipse Cardinalis Vicecomes quicquam de ea statuit, sed tantum Apostolicæ Sedis judicium petendum esse pronunciavit. Ita est vir bone. Decretum genuinum, quod dixi, a fabuloso tuo diversum, Tranchedino auctore & suasore sancitum, tale est, ex actis obsignatis Mediolanensis Fori metropolitici eductum.

Die Martis secunda Martii 1688.

IN Congregatione bodierna, cui Reverendissimus Vicarius generalis Dominus Joseph Valvasarius Pœnitentiarius major, Carolus Antonius Ayroldus, Antonius Reyna, Franciscus Antonius TRANCHEDINUS, *Carolus Bogolus, omnes Canonici ordinaris bujus Ecclesiæ metropalitanæ, Nicolaus Rubinus præpositus Sancti Sepulcri, ad id potissimum convocati interfuere coram Eminentissimo &* Reve-

Reverendissimo Domino Friderico Cardinali Vicecomite Archiepiscopo Mediolani, habita ad instantiam Communitatis Modoetiensis, propositum fuit, an Coronam ferream una cum sacris Reliquiis in illius Ecclesiæ Collegiatæ sacello nunc temporis asservatam, publicæ Christifidelium venerationi exponere, seu JAM EXPOSITAM *ibidem relinquere liceat.* CAP. XIII.

Respondetur, rem esse gravissimi momenti, nec inconsulto Romano Pontifice decernendam, ut in SIMILI *eventu sacrosancta monet Tridentina Synodus. Sedis itaque Apostolicæ petendum consulendumque oraculum: idque omnino sex intra menses, a die præsenti computandos. Hoc elapso termino, Coronam ferream a sacrarum Reliquiarum consortio sejungendam, ac priori loco, ubi ante annum 1650. asservabatur, restituendam. Interim vero sub clavibus ac serra tam arcte custodiendam in Sacello, quod nunc temporis occupat, ut publicæ privatæque venerationi nullatenus pateat, aut religioso cultui exponi, seu exposita esse possit. Ita est.*

Antonius Reyna Canonicus ordinarius & Cancellarius Archiepiscopalis.

Hujus decreti sanctio, utpote sincera & genuina, a Foro metropolitico indicta fuit die XII. ejusdem mensis Petro Paullo Boschæ Archipresbytero Modoetiæ. Discrimen inter illud ficticium & hoc verum omnibus patet. In eo enim fingitur disceptatio de *materia* Coronæ ferreæ, in hoc disceptatur de *cultu*; qui unus, Tranchedino instigante, in quæstionem vocatus est sub Concilii Tridentini ementito colore. Concilium enim non de *antiquis* & pervulgatis, sed de *novis* reliquiis recipiendis disertissime loquitur: *nec* NOVAS *Reliquias* RECIPIENDAS, *nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo*. Atqui Corona ferrea, cujus sanctitatem, ut certam, & an-

CAP. XIII. & anteactis sæculis probatissimam, Beatus Carolus Borromæus coluit, & colendam prædicavit; tandem A.D. 1688. Tranchedino suggerente, *recognosci & approbari* non eguit: nec sine manifesta S. Caroli & veritatis injuria cum *novis Reliquiis* adnumerari potuit, prætextu callide sumto ex totius Lipsanothecæ in sanctiorem locum translatione, superiorum licet antistitum jussu peracta. In Basilicæ Modoetiensis Collegio insigni est eximia Archipresbyteri dignitas, cui Summi Pontifices honoris caussa usum episcopalium indumentorum largiti sunt, & novissime CLEMENS XI. etiam umbellæ. Eam dignitatem viri doctrina & pietate conspicui semper tenuerunt: qui ad unum omnes sine maxima contumelia credi non possunt tam rudes & bardi fuisse, nequid durius proferam, ut ferro inani, & sanctitatis experti factum cultum ipsi impenderint & per alios impendi voluerint. Creditu etiam difficillimum est, duodeviginti Basilicæ Canonicos, octo Presbyteros a ducalibus seu regiis sacellis, & Clerum universum, animos a vera pietate & religione tam alienos habuisse, ut omnes in idem mendacium conspirare non dubitaverint, & quidem in frequentissimo opido, ubi præter Seminarium ecclesiasticæ juventutis, exstant octo cœnobia virorum, & quinque Virginum Deo famulantium, duo nosocomia, totidemque orphanotrophia. Hæc patefaciunt Modoetienses non clam in tenebris, sed in publica luce hominum & sacerdotum, fereæ Coronæ, ut Domini Clavo instructæ, cultum exhibuisse: qui propterea sine evidentissima caussa errori obnoxius censeri non potest.

III. Decreto superius adducto perculsi, non tamen prostrati Modoetienses, nihil antiquius habuerunt, quam ut de religione sua erga Clavum Dominicum docerent Apostolicam Sedem, a cujus tandem judicio falli & fallere nescio quod tantæ rei summa penderet, publicæ lætitiæ signa ediderunt. Quare Clerus & populus Modoetiensis a Cardinali Vicecomiti amplius spacium, quam sex mensium pro subeundo judicio

dicio Apostolici culminis sibi concedi postulaverunt, quo commodius ad documenta & probationes antiqui & immemorabilis cultus ferreæ Coronæ, coacervandas & in commentaria redigendas incumbere possent. Ad hæc viros spectatæ religionis & fidei, graves, doctos & in dignitate constitutos sibi adsignandos curarunt, qui testium examini interessent, & per publicos tabelliones singulas eorum sententias & responsa in tabulas mitti accurate satagerent. Tam justis Modoetiensium postulatis annuit Cardinalis: quumque Antonio Aytoido Canonico Basilicæ metropolitanæ, necnon Nicolao Rubino Præposito generali Congregationi Oblatorum facultates rei necessarias impertiisset, hi continuo Modoetiam accesserunt, ubi die XXVII. Septembris A.D. 1688. de sanctitate & veteri cultu Coronæ ferreæ solemnibus formulis inquiri cœptum est. Hinc sexdecim testes præ aliis in examen adducti & de variis articulis interrogati, ea protulerunt A.D. 1688. & 1689. quæ actuarii in Commentarios cum auctoritate digesserunt, & quorum præcipua excerpta in Summario typis Romanis prodierunt.

IV. Quoniam vero hi Commentarii, publico ritu compositi, demortuis quibus id officii incumbebat, missi non fuerunt ad Apostolicam Sedem, Summus Pontifex CLEMENS XI. A. D. 1713. Modoetiensium postulationibus & votis benigne annuit, ut Sacra Congregatio, ritibus Catholicorum examinandis præposita, eorumdem caussam excuteret, & Commentarios jam dictos ad se perferendos mandaret. Itaque spectatissimo viro Genesio Calcho, tunc Vicario generali metropolitano, & nunc Lucensium Episcopo die 1. Julii A.D. 1713. a purpuratorum Patrum cœtu indictum est, ut ex Tabulariis metropoliticis Commentarios hac de re olim scriptos fidelissime extraheret, Romamque transmitteret. Quare Calchus, Apostolici delegati auctoritate & titulo insignis, Modoetiam properavit, ubi die XXX. Octobris ejusdem anni 1713.

ipse

Cap. XIII. ipſe novum examen orſus, & de veritate ferreæ Coronæ certiſſimis argumentis edoctus, teſtes in prius examen vocatos adhuc ſuperſtites iterum de toto negocio coram aliis teſtibus interpellandos curavit: quumque eorum voces primis conſonas reperiſſet, Commentarios de his pridem conſcriptos ad Sacram Congregationem tranſmiſit.

V. Sed jam demortuo piæ memoriæ Thomæ Mariæ S. R. E. Tit. Sancti Clementis Presbytero Cardinali Ferrario, ad quem Modoetienſium negocii ſummam purpuratis Collegis exponere pertinebat, quum in hoc munere ſuffectus fuerit Eminentiſſimus & Reverendiſſimus S. R. E. Tit. Sancti Stephani in Cœlio Presbyter Cardinalis Jo. Baptiſta Ptolemæus, hoc tandem ſupereſt, ut ſapientiſſimi Judices & Summi Pontificis Conſiliarii nati pro ſua auctoritate & prudentia tandem jubeant, Modoetienſes in priſtina ſua religione & rituum jam olim apud illos ſolemnium poſſeſſione impoſterum liberis & ſecuros quieſcere, quoniam laminæ pervulgata & celeberrima ſanctitas tot argumentis, rationibus, & veterum recentiorumque teſtimoniis in tuto poſita eſt ante Sanctum Carolum, ævo Caroli, & poſt Carolum, ut de illa jure ac merito amplius ambigi non poſſe videatur, niſi incredulorum conjecturis & ſophiſmatibus auſcultare velimus: quæ ſane omnibus Sanctorum lipſanis diruendis, & avitæ religioni ex Fidelium cordibus ſenſim eliminandæ facile adcommodantur. Novimus gliſcente Calviniana hæreſi in Galliis primum impetum contra Reliquias irrupiſſe, unde Turonenſes, Floriacenſes & Lugdunenſes Lipſanothecæ, majorum veneratione clariſſimæ, dolendo infortunio peſſum iverunt. Calvinus ipſe, furialis Reliquiarum hoſtis, omnes Dominicos Clavos a Fidelibus variis in locis cultos impie ſugillavit, ut eorum memoriam & reverentiam ex Catholicorum animis inde potiſſimum evelleret, quod ipſe quatuordecim reperiſſet. Sed Eccleſia orthodoxa peſtilentiſſimi transfugæ maledicta conte-

temnens Clavos ex Catholicorum sacrariis proiciendos sancire detrectans, eorundem cultum firmiorem reddidit. Nunquam ignorarunt Summi Pontifices & Apostolica Sedes Clavorum hujusmodi multitudinem, etiam Calviniana majorem: nec tamen fidelium animos ab eorum obsequiis & cultu averti voluerunt; immo eorundem non paucos sive diplomatum auctoritate magis venerabiles reddiderunt. Et merito sane, ut mox constabit. Sed prius Clavorum numeri notitiam, quam nactus sum, hoc loco explicabo. CAP. XIII.

1. Romæ in Basilica Sanctæ Crucis in Hierusalem.
2. MODOETIÆ in Basilica Præcursoris.
3. Mediolani in æde metropolitana.
4. Turni ad lacum Larium.
5. 6. 7. Venetiis in Basilicis Patriarchali, Ducali, & Clarissarum.
8. Torcelli in æde Antoniana.
9. Spoleti in templo Sancti Salvatoris.
10. Anconæ in cathedrali Basilica.
11. Senis in nosocomio Sanctæ Mariæ de Scala.
12. Apud Collenses in Tuscia.
13. Neapoli in cœnobio Sanctæ Patriciæ.
14. Catinæ in Sicilia.
15. Apud Hispanos in æde Laurentiana Escorialensi.
16. Carpentoracti.
17. 18. Lutetiæ in ædibus Sancti Dionysii, & Carmelitarum.
19. Treviris.
20. Tulli Leucorum.
21. Aquisgrani.
22. Coloniæ Agrippinæ.
23. Viennæ Augustæ.
24. Apud Andecenses monachos in Bavaria.
25. Norimbergæ.

CAP. XIII. Ex tot Clavis, præcipuo cultu apud Catholicos jure habitis, licet quatuor tantum Christi membra transfoderint, ut Cap. I. dictum est, nullus fortasse vel certe paucissimi antiquis & spissis probationibus fulciuntur juxta ac Modoetiensis: & tamen ab Ecclesia nullus eorum exploditur. Huc denuo recurrit effatum Baronii jam adductum Cap. II. §. VII. *Fides purgat facinus, quum nemo Fidelium ferrum colat, sed Christi potius passionem veneretur & adoret in ferro.* Sed nec desunt aliæ rationes ad vindicandum tot Clavorum numerum, & venerationem in Ecclesia Catholica illis exhibitam. Has recensere non piget, quia Modoetiensibus etiam, quatenus opus esset, suppetias ferunt. Quem proxime laudavi gravissimus Annalium conditor A. D. 326. §. LIV. ait forte alicubi accidisse, *ut Clavus aliquis inter sacras Reliquias adservatus, quo mystica membra Christi, nempe martyr quispiam, confixus est, idem unus ex ipsis Christi Clavis fuerit existimatus.* Hanc Baronii rationem expansis ulnis amplectitur scriptor alienus Gerardus Jo. Vossius in Harmonia Evangelica lib. II. cap. VII. §. 35. quia Christus ipse Saulo persequenti Ecclesiam dicebat Actuum Apostolicorum IX. 4. *cur me persequeris?* Jacobus Bosius in præclaro opere de Cruce triumphanti lib. I. cap. XV. pag. 100. Clavis, ob eorum numerum, auctoritatem & venerationem in Ecclesiis, ubi coluntur, nequaquam minuendam existimans, in quibusdam eorum haberi posse ait partem veram Clavorum, qui Christi Domini membra terebrarunt, quum veteres Christiani mirum in modum avidi particulas instrumentorum Dominicæ passionis habendi, sicubi eas obtinuissent, thesauri loco adservarent. Has ferro compactas alii in novos & integros Clavos cudendas studuerunt, pro certo habentes, virtutem & efficaciam particulæ veri Clavi alteri ferro admixtæ, in novos Clavos migrare. Alii, quibus esse tam beatis non licuit, novos Clavos veris archetypis ab se visis quoad omnia persimiles sibi fabri-

can-

candos curarunt, ut ex eorum adspectu animæ solamen hau- Cap. XIII.
rirent. Aliquis etiam ex tot Clavis fortasse crucem ipsam, titulum, aut suppedaneum compegit. Ab his non abludunt quæ tradit Gretserus lib. I. de Cruce cap. xx. pag. 73. & Christophorus Browerus in Annalibus Trevirensibus tomo I. lib. IV. §.XII. pag. 218. Clavos postremo loco nominatos Christi Sanguis sacravit, & Christianis reddidit venerabiles, inquit Honoratus Nicquetus in Historia Tituli Sanctæ Crucis lib. I. cap. XVIII. Cornelius Curtius cap. VI. de Clavis Dominicis nobis etiam suggerit, ex urbe Syriæ Beryto Clavos olim per varias orbis partes divisos, quibus Christi imago ab Judæis, veteri odio & furore percitis, crucifixa est. Hoc legitur in Concilio Nicæno II. Actione IV. apud Labbeum tomo VII. pag. 744. Sed audiamus quæ quadringentis ab hinc annis hac de re scripsit Lucas Tudensis lib. II. cap. XI. contra Albigenses: *potuerunt* (Clavi Dominici) *per partes dividi, vel Crucis compages in transverso ligno & Titulo fuerunt Clavis ferreis colligata: qui omnes consecrati sunt, ipso Dei Filio in Cruce pendente, & merito a Fidelibus cunctis devotissime adorantur*. NON *enim* DECIPITUR *justus, in Catholica fide fundatus*, NEC AMITTET *mercedem suam, si loco vivifici ligni, vel* CLAVORUM *Christi, a ministris Ecclesiæ aliquid aliud sibi oblatum, devotione fidei, ut lignum vel ferrum, fuerit amplexatus*. Hanc veterem Lucæ doctrinam Baronianæ superius adductæ, & Suarianæ inferius adducendæ simillimam, exosculamur.

VI. Quum ergo argumentis ex universa antiquitate & ex ipso plurimorum testium ore deductis sanctitatem *ferreæ Coronæ* vindicaverimus, monitum Sancti Pauli pro Modoetiensibus recolendum est ex epistola II. ad Thessalonicenses II. 13. *tenete traditiones, quas didicistis*; hoc enim sperare jubet sapientissimorum Judicum magna æquitas & religio, utpote quibus compertissimum est illud viri insignis

 Melchioris Cani in Locis Theologicis lib. xi. cap. iv. contra illos, qui rebus communi historicorum consensione traditis fidem abrogant: *omnia tollamus ergo, quæ aut historia nobis, aut testes graves & probati adferunt.* Hoc tamen a nostris mentibus longissime absit: sed ejusdem Cani verba, quæ jam adductis, paullo superius præcedunt, potius repetamus: *hæc non modo negare, sed in his etiam addubitare stultissimum est.* Denique his finem imponat sententia viri inter Theologos, quos scholasticos vocant, magni nominis. Is est Franciscus Suarez, qui tomo I. Commentariorum in tertiam partem Sancti Thomæ Quæst. xxv. Disp. LV. Sect. II. de Reliquiis agens, in rem nostram hæc literis consignavit: *in rebus humanis non est major certitudo requirenda: & periculum formalis erroris, ut ita dicam, nullum est, quum in ratione formali adorandi non possit esse error: in qua ratione, virtute continetur conditio errorem excludens; tum etiam quia si interdum materialiter erretur, nulla erit culpa, quum bona fide & prudenti modo procedatur: & pie credendum est, non permissurum Deum hujusmodi errorem in publico cultu.* Non egent Modoetienses hoc clypeo, quo religionem suam tegant; sed nihilominus hunc etiam obtrectatoribus suis libenter opponunt. Nos tamen eos credere malumus bono animo egisse: & si hæc, quæ nobis perpendere vacavit, ipsi memoria repetiissent, fortasse Modoetiensium pietatem & religionem haudquaquam vexassent. Accusationes profecto id sæpenumero efficiunt, ut res, quæ in dubium vocatæ, nutare videbantur, firmius & luculentius restitutæ deinde consistant.

VII. Basilica Modoetiensis venerandum *Coronæ ferreæ* pignus & munus a Sede Apostolica se agnoscere profitetur, semperque professa est. Hoc palam loquuntur marmora antiquitus in eadem insculpta, ubi supra Regis coronationem opere anaglypho expressam, hæc leguntur: *altissimi Dei &*

Apo-

APOSTOLICA SEDIS GRATIA CONCEDENTE, PROUT CONSTITUTUM EST *Modoetiae &c.* Reliqua recitavi Cap. IV. §. III. Apostolica Sedes Coronam ferream, sanctitate & miraculis claram, in Basilica Modoetiensi magna cum religione adservatam, semper suspexit & praecipue commendavit, quod nulli alii Coronae contigit. Sic Johannem XXII. Clementem VI. Innocentium VI. Clementem VII. Sixtum V. Innocentium XI. fecisse jam diximus. Sic a Legatis & Cardinalibus Apostolicae Sedis, Bertrando Sancti Marcelli, Guillelmo Sanctorum Quatuor Coronatorum, Arnaldo Sanctae Mariae in Porticu factum narravimus. Sic Reges Italiae, Francorum & Germanorum Augustos religionis caussa in Insubres ferreo diademate coronandos properavisse jam vidimus. Hoc Modoetiae a Mediolanensi metropolita suscipere consueverunt, saepenumero Mediolani, nec raro Ticini: extra Insubres unus Carolus V. Bononiae suscepit. Quare Augustissimus Imperator CAROLUS VI. Mediolani subsistens A. D. 1711. die 8. Novembris jussit Germanici Imperii Procancellarium Comitem Schonbornium accedere Modoetiam, Coronam ferream visurum; cujus etiam caussam Caesar ipse commendari voluit Eminentissimo & Reverendissimo Josepho Renato Imperiali S. R. E. Diacono Cardinali Sancti Georgii, apud ipsum Apostolicae Sedis Legato a latere. Tot tantisque beneficiis per Sedem Apostolicam a tempore Sancti Gregorii Magni uberrime in se collatis Modoetienses pro sua ingenti pietate perpetuo respondere studuerunt, praecipue in hoc, quum ritibus Ambrosianis (probatissimis quidem, sed non Romanis) undique circumsepti, Romanos a Gregorio haustos, religionis & grati animi caussa ipsi uni Mediolano proximi & intra ejus parochia urbanam positi, semper tenacissime retinuerunt, & favente Deo retinebunt; nam Aroua, quae eos pariter servat, longe abest, atque olim Novariae, non Mediolano, suberat. Quare etiam ex hoc capite apparet quam sint Modoetienses, un-

CAP. XIII. immerito licet, plerisque Ambrosianis invisi: & quam juste religionem suam & Coronæ ferreæ sanctitatem sartam tectam omnino fieri deprecentur ab Apostolicæ Sedis judicio, ne ullus ex secundariis aut etiam primariis metropolitici Fori ministris imposterum pro arbitratu suo avitam illorum pietatem exagitet, neve Coronæ ipsi statis temporibus populorum venerationi per Archipresbyterum de more exponendæ, & solemni supplicatione circumferendæ intercedere, eandemque sub emendicatis coloribus traducere audeat. Quid sanctius & Mediolanensium gloria & pietate dignius per Modoetienses flagitari unquam posset? Modoetiensium Basilicæ fama & amplitudo ex sacris pignoribus, Coronæque ferreæ cultu, Mediolanensi metropoli, in cujus, ut dixi, parœcia sunt positi, non dedecori, sed maximo honori vertitur. Hoc mente pura omnique pravo affectu purgata olim agnoverunt clari Mediolanensium scriptores, qui Modoetiæ præstantiam Clavique Dominici thesaurum tot perspicuis & disertis testimoniis adseruerunt. Hi sunt Bugatus, Besutius, Morigius Corona, Ripamontius, Coilius, Puricellus, qui id profecto nequaquam fecissent, si patriæ, si tantæ metropoleos decora inde labefactari credidissent. Cur vero sic crederent? Corona ferrea ad Basilicam Modoetiensem pertinet quidem; sed Mediolanensis metropolitæ hæc prima laus est, ut sacrum thesaurum, mortisque Dominicæ pignus vertici Regum Italicorum per tot sæcula imposuerit, imponatque ubi opus fuerit, & in Basilica sibi subjecta custodiendum, debitaque religione colendum hucusque curaverit. Hoc totum denique est unius Ecclesiæ Mediolanensis: quod omnium luculentissime vidit, testatusque est Ripamontius: cujus verba ex Cap. x. §. 1. heic iterum memorare opus est: DUOS, ait, *augustissimi mysterii* CLAVOS *invidendo terris omnibus munere quoniam servat Ecclesia* MEDIOLANENSIS, *&c.* nempe *Frenum* & *Coronam ferream.* Si ergo Mediolanensis Ecclesia Coronæ ferreæ Clavum servat

in

in Basilica Modoetiæ, cur ipsa rem suam, quasi alienam torvo oculo adspiciat? Cur mater filiæ thesauris invideat? Absit hoc credere. Nihil injuriosius tantæ metropoli, præsertim hoc tempore, affingi posset. Quæ olim accidisse narravimus, improvido & privato dumtaxat quorundam paucorum ingenio tribuenda sunt. Ne hæc tamen aut his similia imposterum sibi eventura Modoetienses paveant, subsequentem epigraphen in fronte suæ Basilicæ ex Beatissimi Pontificis Cœlestini I. epistola apud Sanctum Vincentium Lirinensem in Commonitorio cap. XLIII. magnis characteribus insculpendam curabunt: DESINAT. INCESSERE. NOVITAS. VETVSTATEM. Cap. XIII.

FINIS.

In Dissertatione, quæ raptim scripta & impressa est, hæc paucula recognosce.

pag.	*lin.*	
14.	2.	santissimus *lege* sanctissimus
30.	5.	phum *lege* phus
40.	28.	*post* Ticini *adde* etiam
41.	5.	*ante* Fridericum *adde*. Hæc Radevico non adversantur. nam Pagius A. D. 1162. §. XXXII. Fridericum quater coronatum optime observat, nempe Aquisgrani, Romæ, Ticini, & Modoetiæ.
44.	4.	*dele* &
72.	23.	OFFERT *lege* OFFERET
		BAPTISTÆ *lege* BAPTISTE
76.	14.	*post* Zucchio *adde*, nimirum præter Salvatorem & duos Angelos, ut comperi in ectypo ad me misso.
93.	6.	Cremonensium *lege* Bergomatium

INDEX

INDEX
RERUM.

A

Q Ar-

Co-

D

E

F

G

H

Liut-

M

Q

R

S

Se-

T

V

Z

FINIS.


005645009